



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Frankofurti, 1671

Cap. XVIII. De vario vehiculorum usu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156

mentalingua, quas ranas veterinarii vocant. Et lib. VII. cap. 5. ubi agit de morbis ovium: Ovem pulmonariam similiter & suam curari convenit, inserta per auriculam, quam veterinarii consiliginem vocant. Alias sunt mulomedici. Jul. Firmicus lib. VIII. cap. 13. Hoc Oriente qui natus fuerit, aut erit auriga, aut equorum nutritor & cultor, vel eorum exercitator, aut mulomedicus vel equitarius. Hinc habes crebro eorum mentionem in Cod. Theodosiano inter ministeria cursus publici. Ut, l. 31. Nec mulionibus, nec carpentariis, nec mulomedicis, cursui publico deputatis. Græcis sunt ἰππολάγοι. Glossæ veteres titulo de Divitiis: Mulomedicus, ἰππολάγοι.

Cap. XVIII.

De vario vehiculorum usu.

Usus vehiculorum generalis. Initio adhibita in agris. Plaustrum inter sydera. Post in itineribus. Mulieres potissimum vehiculis quondam usæ, post promiscuè adhibita. Romæ ad hoc rheda meritoria. Harum usus rarus ad portanda onera. Vehicula sacra Deorum, ut quadrigæ Iovis. Livius emendatur. Item Solis. Thense. Alia. Ficta Poëtarum vehicula Iovis, Junonis, Saturni, Rheæ, Neptuni, Protei. Natalis Comes atque Erythraeus notantur. Martis. Demsterus notatur. Veneris, Dianæ, Plutonis. Color ceruleus. Cereris, Bacchi, Solis. Sol quadrigas primum invenisse credebatur, & quare. Natalis Comes iterum notatur. Currus Auroræ. Aurora pro Sole. Gyraldus rejectus, & emendatus Fulgentius, ac Hyginus. Currus Luna. De Ausonii loco nova sententia. Invenca. Currus Noëtis. Vehicula Olympica & Circensia. Quibus Diis dicata fuerint. Tertullianus explicatus, ejusque vetus lectio defensa. Equus venetus, prasinus. Vehicula vera Diis consecrata. Quædam ad verorum effigiem in fastigiis ædium sacrarum collocata. Vehicula ad portandas res sacras in pompa Circensi & Bacchi. Ad gestandos Sacerdotes. De sensu Taciti suspicio. Vehicula Regum apud gentes multas, aliorumque honoratiorum. Romæ Præfecti Prætorii & urbis, Vicarii urbis, Consulium, Senatorum. Gellii locus expensus. Currus ob præclara merita. Aqua pro equo. Currus Victorum Olympicorum, Triumphantium. Currus ob animi constantiam, & fidem. Currus honoris causa missus obviam. Recepti ab aliis in currum

ob honorem. Currus datus ob sexus reverentiam matronis, item Sponse in nuptiis. Briffonius notatur. Currus ænei, marmorei, & id genus, honoris gratia, decreti Triumphantibus, eis quoque, qui publicum præbuisent munus, quales simul curru vecti per Circum. Currus honorarii alii, etiam cum elephantis. Currus ludicri in Abaco. Currus ad comædias, medicinam. Ἰατρὸς ἐν ἰδίῳ πρὶ ἑ. Ad litterarum deportationem. Diploma ei rei. Cursus vehicularis non est idem cum angariis. Veredi. Vehicula domicilii & habitationis. Iustini lectio defensa. Plinius emendatus. Vehicula cubiculorum vice. Vehicula ad exercitationes corporis, gestationes in porticibus. Vehicula ad recuperandam valetudinem. Ad sublevandas membrorum infirmitates, pedum, oculorum, etatis. Ad deportandos defunctos honoris gratia, vel minnendos sumptus, vel ad contumeliam, vel ob necessitatem ex multitudine funerum, aut longinquitatem via. Currus ad supplicia. Trahi, discerpi quadrigis. Hercules num auctor hujus rei. Πῶδοι, equi. Lipsii emendatio Senecæ rejecta. Comminuti plaustris. Rota supplicium. Gallicula. Barthius notatur. Rota Græcanica longè alia, quàm Germanorum. Erasmus, Frischlinus, Rhodiginus notati. Ignis & flagella cum rota. Vehiculis impositi per infamiam. Vehicula ad prælia. Διοφῆται varia, quidque notent. Pollux explicatur. Persica, Libyca, Cyrenaica διοφῆται. Vehicula in munimentum castrorum, ad securitatem itinerum, defensionem in pugna, portationem machinarum, & armorum militarium, superanda flumina, excludendos hostes à persecutione diuturniori, & id genus.

USus vehiculorum in humana vita fuit varius & multiplex. Unus generalis ad portanda onera, transferendaq; ea de loco uno in alium. Sed cum ea onera non sint generis unius ejusdemque, inde nati usus alii aliiq; pro diversitate finium, ad quos ea onera referbantur. Primum omnium in agris usurpata videntur ad expedienda opera rustica, quæ carere nequeunt subsidio vehiculorum. Ac fortassis hæc est causa, quod in cælos ipsos astraque transtulerint. Nam quod sydus ursam vulgo nuncupant, id initio plaustrum est vocatum. Mansitq; illa appellatio apud gentes ferè omnes, omnium saltem gentium agrestes rusticosve, quos primos observasse sydera

dera propter cultum agrorum non est vero alienum. Hyginus lib. II. Poët. Astr. in Arcto minori: *Majorem arctum complures plaustrum similem dixerunt, & ἀμαξάν Græcè appellarunt.* Et post pauca: *Initio qui sidera per viderunt, & numerum stellarum in unaquaque specie corporis constituerunt, non arctum, sed plaustrum nominaverunt.* Plaustrum ergo sydus illud non Latinis modò antiquissimis, sed & Græcis, qui vocarunt ἀμαξάν. Idem Arabes & Hebræi vetustissimi fecere, ut testatur Scaliger ad Manilium, neque alia est consuetudo gentium Germaniæ magnæ omnium mirabili consensu. Ad eò non potest dubitari de antiquo hujus rei usu. Post vehicula videntur usurpata in itinere. Plaustris sanè seu vehiculis Jacobum, patrem suum, & uxores fratrum liberorūq; ad se adduci ex Mesopotamia in Ægyptum curasse Josephum legimus Gen. XLVI. Quo tamen ex loco colligat fortasse quispiam, nec ineptè, mulierum olim senumque usui potissimum fuisse destinata, viros juvenesque pedibus plerumque iter consuevisse facere. At sequentibus temporibus promiscuè cesserunt omnibus. Ita Naaman Syrus vehiculo facit iter in Judæam, de quo lib. IV. Reg. cap. 5. *Venit ergo Naaman cum equis & curribus, & stetit ad ostium domus Elise.* Similia legimus de Theसारario Candacis, Reginae Æthiopum, in Actis, cap. 8. *Et revertebatur sedens super currum suum.* Vel, ut Græca habent, *καθήμεν & ὄπι τῆ ἀμαξῆ & ἀνῆ.* Eadem Græcorum fuit consuetudo. Nam vehiculo & Pisistratus profectus est in prædia vicina teste Herodoto lib. I. & Triptolemus totum ferè orbem pervagatus, quod Hyginus docet. Latini vehiculis frequentissimè sunt usi ad itinera, viri fœminæque. Tarquinius mox circa initia urbis ab Sabinis Romam proficiscitur *carpento sedens cum uxore*, quæ sunt Livii verba. Neque aliter deinde factum. Cicero de se ipso lib. V. ad Attic. epist. 17. *Hanc epistolam dicta vi sedens in rheda, cum in castra proficisceretur.* Adde lib. VI. ad Attic. ep. 1. ubi habet paria de Vedio. Plinius quoque de se lib. X. epist. 26. *Nunc destino partim onerariis navibus, partim vehiculis provinciam petere.* Ac habebant ideò recentioribus temporibus Romæ atque alibi, qui rhedas & id genus elocarent eo fine sub mercede, quæ proinde *meritoria vehicula* nuncupabantur. Suetonius in Julio cap.

cap. 50. *Longissimas vias incredibili celeritate confecit, expeditus meritiora rheda, centena passuum millia in singulos dies.* Et in Caligula cap. 39. *Quicquid instrumenti veteris aula erat, ab urbe repetiit, comprehensis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis.* Tanquam singulare quid commemorat, quod vehiculis meritoriis sit usus Cajus ad deportationem instrumenti ejus. Nempe alias non ad res, sed homines, nec gestationem, sed profectionem pertinebant. Ceterum, ut hi duo modi primi antiquissimiq; fuerunt, quibus constitit vehiculorum usus, ita postea divisi sunt in varias multiplicesq; species pro diversitate negotiorum pertinentium vel ad pacem, vel ad bellum. Ac in pace quidem primum vehicula usurpata in sacris, tributaq; Diis ipsis. Tale ἄρμα Διὸς ἱερὸν, *currus Iovi sacer*, apud Herodotum lib. VII. quem religione summa colebant Persæ, inq; itineribus & expeditionibus secum habebant Reges. Curtius lib. III. cap. 3. in pompa Darii: *Curram deinde Iovi sacratum albentes vehabant equi.* Ubi nota equos albos in hoc curru solennes. Atq; sic receptum fuit etiam aliis, maximè Romanis. Ideò vitio Camillo datum, quod hoc genere equorum usus esset in vehiculo triumphali, tanquam æmulatione quadam Jovis, ἱερὸν γὰρ ἠγέρτο τὸ τοιαῦτον ὄχημα τῷ βασιλεῖ & παρὶ τῶν Θεῶν, *sacrum enim tale vehiculum habent Deorum patri & Regi*, ut Plutarchus in Camilli vita loquitur. Livius lib. V. cap. 23. de eadem re: *Curru equis albis juncto urbem in vectus: Parumque id non civile modò, sed humanum etiam visum. Iovis Solisque equis equiparatum Dictatorem in religionem etiam trahebant.* Ostendit & ipse, albos equos proprios putatos Jovi. Verum nescio, an integra sint loci hujus verba. Cui enim hic æquiparatur Dictator? Utrum equis? Quomodo? Nec enim intelligitur, imò ne quidem eis Livius æquiparatum voluit, sed Jovi. Quare illud *equis* non est casus tertius, sed ultimus. Jam si casus ille ultimus, oratio non est integra, quia nihil est, quod τῷ *equiparatum* respondeat. Quare puto Livium scripsisse, *Iovi Solisque equis equiparatum.* Fuit nempe vocabulo *Iovi* adnexum *s* ex sequenti voce *Soli*, & quia in secundo casu cœpit legi, etiam vocem *Soli* eo casu putarunt collocandam. Ceterum, ex verbis Livii apparet, etiam *Soli* curram Romanos tribuisse,

isse, eumq; pariter cum equis albis. Ubi verò currus hos habuerint, non liquet. Mihi verisimile videtur, respexisse ad eos, quos circumducebant in pompa Circensi, atq; thensas alias vocabant. Sanè *thensa Iovis* legitur apud Svetonium in Vespasiano, & ὄχος τῆς Ἀθῆνας, id est, *thensa seu vehiculum Minerva*, item ὄχος Ἀπίου, id est, *thensa seu vehiculum Martis*, apud Dionem in Circensi pompa. Sed & Diu reliqui Deæque, nec non Heroës, & ex hominibus in Deorum numerum relati, sua in Circensi pompa habuisse vehicula comperitum est. Quale quid ne Græcis quidem plane incognitum fuisse videtur, quum & Ptolomæus Philadelphus in pompa sua Bacchum aliosq; Deos sic traduxerit, ut apud Athenæum lib. V. legitur. Ac fortassis sua res hæc accepit initia ex imitatione sacrorum Judaicorum, cum in iis semel iterumque arca fœderis vehiculo imposita & in locum suum traducta legatur. Ipse David hoc observavit cum suis, de quibus ita lib. II. Sam. cap. 6. habemus: *Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum*. Alias vehicula tributa Diis, sed figmento quodam, à Poëtis & Pictoribus. Atq; Jovi quidem assignabant quadrigas ipsi quoque. Inde Plautus in Amphitruone:

Quadrigas si insendas Iovis, nunquam effugies infortunium.

Ubi nota, his quadrigis summam tribui celeritatem, quod existimant ex eo fieri, quoniam celerrimo curriculo rapi Jupiter ex Olympo in terram, & rursus ex terris in Olympum fingatur. Verum rectius putabimus hoc inde ortum, quia Jupiter non est alius paganis, quam qui vulgo Sol vocatur, cujus cursus est celerrimus. Sed de Sole postea. De Jove ac celeritate currus ejus etiam Lucianus videtur testari, quando currum facit alatum in Piscatore: ὁ μέγας Ζεὺς ἄρμα ἐλαύνων. *Vt magnus Iupiter curru vectus alato*. Sumfit Lucianus hoc ex Platonis Phædro, ubi Plato quoque: ὁ μὲν δὲ μέγας ἡγεμὼν ἐν ἔρανώ Ζεὺς ἄρμα ἐλαύνων. *Magnus Imperator cæli Iupiter curru vectus alato*. Imitatur & Horatius, quando *volucrem* appellat currum eum lib. I. Carm. od. 34.

Plerumque per purum tonantes

Egit equos, volucrumque currum.

Sed dispiciendum, annon volucris alatusq; currus hic dicatur pro-

Hh

pter

pteraq̄vilas, q̄vas nonnulli adjunxere loco eq̄vorum. Sanè in Hygini picturis sat antiquis non sunt eq̄vi, verum aq̄vilæ, in curru Jovis. Juno. & ipsa curru fingitur incedere, sed tracta pavonibus. Ovidius lib. II. Metam.

Habili Saturnia curru

Ingreditur liquidum pavonibus æthera pictis.

Saturno picturæ Hygini currum tribuunt cum draconibus adjunctis, q̄vi caudas suas ore præhendunt & absumunt. Quod non puto alibi occurrere. Rheam, q̄væ & Isis vel Cybele, fingeant uti curru tracto leonibus. Hinc Lucretius lib. II.

Hanc veteres Grajūm docti cecinere Poëta

Sedibus in curru bijugos agitare leones.

Consentiunt Virgilius Æn. II. Claudianus de Raptu Proserpinæ, ac alii, monumenta item prisca nummiq̄ve, q̄vales cernuntur apud Anton. Augustinum in gente Volteja, Rossinum, atq̄; alios. Leones illi quondam homines fuisse finguntur, Hippomanes videlicet ac Atalanta, post ira Numinis conversi in feras. Ovid. lib. X. Met. f. 14. de ipsis agens pluribus, postremo claudit:

Pro thalamis celebrant sylvas: aliisque timendi

Dente premunt domito Cybeleia fræna leones.

Habet etiam Neptunus currum sententia Poëtarum, cumq̄; quadrijugis junctum. Hinc Orpheus de eo:

Κυμοθαλής, χορὴ ἰώπα, τετραόρον ἄρμα δῖωνων.

Quadrijugum impellens currum, summo equore labens. Plato ad illius currum eq̄vos jungit sex in Critia: τὸν μὲν Θεὸν ἐφ' ἄρματος ἐστῶτα ἐξ ὑποπέγων ἵππων ἰνίοχον. *Constituerunt Deum, (Neptunum) curru insistentem, sex alatorum equorum aurigam.* Ubi observa, eq̄vos hosce dici alatos. Nam alii quidem eq̄vos nominant nudos. Ut Virgilius lib. V. Æn.

Iungit equos curru genitor, spumantiaque addit

Fræna feris.

Et fortasse Plato non tam alas aliquas in eis intellexit, quam celeritatem singularem. Nam & Virgilius statim post prædicta:

Caruleo per summa levis volat equora curru.

Quomo-

Quomodo & lib. I. Æn. de Neptuno:

-- -- *Curruque volans dat lor a secundo.*

Pro eqvis hippocampos alii in eo posuere, neq; illos sex, vel quatuor, sed duos, si est verum, quod habet Schottus in Dial. XII. Antiq. C. Marius, ait, *Arpinas, belli arte manuque promptus, in Nummis cuspum caput edidit Neptuni, &c. Atergo in biga habenis regentem cernas hippocampos.* Sanè apud Fulvium Ursinum quoq; in gente Crepereia currus cernitur cum hippocampis, hoc est, eqvis in pisces desinentibus, duobus, cui infistit aliquis cum tridente. Sed, num is Neptunus sit, certò haud dixerim, cum hoc genus Proteo tribuat Virgilius lib. III. Georg.

*Est in Carpatio Neptuni gurgite vates
Ceruleus Protheus, magnum qui piscibus equor
Et juncto bipedum curru metitur equorum.*

Pulchrè *bipedum equorum*, quia pars eorum posterior in pisces erat deformata. Unde Servius: *Equi enim marini prima parte equi sunt, postrema resolvuntur in pisces.* Eqvos marinos vocat, quos Schottus hippocampos. Tales ergo Proteus, non Neptunus habuerit. Neptuno tamen sunt, qui cete tribuant pro eqvis, vitulosque marinos. Natalis Comes lib. II. *Alii maluerunt ejus currum trahi à vitulis marinis & cete, quam ab equis.* Qui sint illi alii, non declarat. Observo interim ex numero illorum esse Erythræum, quando ita notat ad Virgilio lib. V. Æn. p. m. 241. *Homerus Odysf. V. currum describit Neptuni, τὰ κῆτη μεγάλα.* Verum ego nihil tale invenio apud Homerum. Verba ibi sunt Ulyssis naufragi, & inter fluctus nantis: *Vereor,*

Ἡ ἔστι μοι καὶ κῆτ' ὀϊστὲν μεγάλη δαίμων.

ne mihi cete immittat magnus Deus. Hæc verba nihil faciunt ad currum Neptuni, timuisse Ulysses ostendunt, ne à piscibus devoretur. Et qui possint, cum præcedat paulò ante apud ipsum quoq; de Neptuno:

Ὡς ἄρα φωνήσας, ἵμασεν καλλιτριχᾶς ἵππους.

Sic locutus impulit pulchricomos equos. Tribuit & Homerus eqvos Neptuno in curru, non cete, neque vitulos marinos. Memorant

Hh 2

Poëta

Poëtæ currum quoque Martis cum eqvis. Ipse Homerus Iliad. O.

Ὡς φάτο· καὶ ῥ' ἵππους κέλετο δειμόν τε, φόβον τε
Ζευγύμεν.

Sic dixit, (Mars) & equos jussit Metumque Fugamque jungere. Per Metum Fugamque, sunt, qui putant eqvos intelligi sic nominatos. At Eustathius Martis filios exponit. Eqvos sanè memorat in curru Martis etiam Calaber, verum quatuor, eosque vocat Æthona, Phlogium, Combon, & Pholum. Pro eqvis Demsterus locat leones. Verba ejus sunt in Comment. ad Rossini X. cap. 29. *Antonius Heliogabalus triumphabat tigribus, ut referret Bacchum, leonibus, ut Martem, denique canibus, ut exemplo careret.* Habet, ut testatur ipse, ex Lampridio. Verum prius falsum est, quod ait triumphasse. Nusquam hoc Lampridius, quod alibi jam dixi. Deinde nec id verum, quod de Marte prodit. Nulla Martis mentio in verbis Lampridii, sed Matris Deum, id est, Isidis vel Cybeles. Ita enim habent: *Iunxit sibi & leones, Matrem magnam se appellans.* Verba hæc non bene Demsterus inspexit, & ex Matre Martem nobis deformavit. Veneri tribuerunt currum cum columbis. Docet pictura verus Hygini, & Ovidius lib. XV. Metam. ubi de Venere:

Perque leves auras junctis in vecta columbis.

Apulejus quoque lib. VI. Asini, de curru Veneris agens: *De multis, quæ circa cubiculum Domina stabulant, procedunt quatuor candidæ columbæ, & hilaris incessibus picta colla torquentes, jugum gemmeum subeunt, susceptaque Domina læta subvolant.* Quibus verbis nota quatuor nominati, cum in picturis Hygini duæ tantum cernantur. Sunt tamen, qui pro columbis cygnos memorant. Ut Horatius lib. III. Carm. od. 28. ubi sic describit:

*Quæ Cnidon
Fulgentesque tenet Cycladas, & Paphon
Iunctis visit oloribus.*

Et Papinius lib. I. Sylvarum in Epithalamio, de Venere:

— — Amycleos ad fræna citavit olores.

Ipse etiam Ovidius hoc facit lib. X. Metam.

*Vectæ levi curru medias Cythera per auras
Cypron olorinis nondum per venerat alis.*

Sappho

Sappho ei tribuit passeret, quod est singulare. Ita enim habet carmen ejus ad Venerem, quod legitur apud Dionysium Halicarnasenseum in libro de structura Orationis:

-- -- -- Ἡλθε
 Ἀρμὺ ὑποζεύχασα· Καλοὶ δὲ σ' ἄγον
 Ωκέες στυβοὶ, πτέρυγας μελαίνας
 Πυκνὰ δινέοντες. -- --

Venisti curru vecta. Pulchri te ferebant agilesque passeret, ales nigras crebro moventes. Dianæ currum finxerunt trahi à cervis. Callimachus:

-- -- χρύσειον δ' ἐζεύχαστο δίφρον
 Ἐν δ' ἐβάλετο χρύσεια θεὰ κερμάδεσσι χαλινὰ.

Et frana, quæ aurea cervis imponis, cum ducis ad currum aureum. Apollonius lib. III. Argon. v. 877.

Χρυσείαις ἀηλώϊς ἐφ' ἄρμασιν ἐστῆν
 Ωκέαις κερμάδεσσι διεζέλασθησι κολῶνας.

Aureo in curru stans Diana velocibus cervorum hinnulis colles transvehat. Atq; hac effigie Diana cernitur etiam in nummis veteribus & monumentis aliis. Pluto apud Poëtas currum habet cum eqvis. Docet Claudianus in Gigantom.

-- -- -- Rex ille silentium
 Lethæo vehitur curru, lucemque timentes
 Insolitam mirantur equi, trepidoque volatu
 Spissas cæruleis tenebras è naribus efflant.

Nota, nares eis eqvis tribui cæruleas, quia color is eqvorum integrorum fuit. Intelligitur verò cæruleus, non qvalis Cæli, cum est serenum, sed cum obscurum atq; tenebrosum. Cyaneum & Indicum alias vocarunt, qvalis distat proximè à nigro. Hinc Ovidius eosdem eqvos vocat atros lib. V. Met.

Hanc metuens cladem tenebrosa sede tyrannus
 Exierat, curruque atrorum in vectus equorum
 Ambibat Siculæ cautus fundamina terræ.

Nempe Pluto Jupiter est inferus. Sicut ergo candidos, qui est superus, habere fingebatur eqvos, sic ex adverso alter atros. Nume-

rus equorum putatur quaternarius. Claudianus in de Raptu Proserp. ubi Pallas ad Plutonium:

Audes Tartareis Cælum incestare quadrigis.

Idem nomina eis dat Orphnæi, Æthonis, Nyctei, & Alastoris, lib. I. Cereris currus trahitur ab angvibus. Sic Orpheus in carmine de ipsa, primus forsan hujus commenti auctor:

Ἄγυα δραιοὺς ἐίοισιν ὑποζεύξασα χαλκῶϊς.

Currum jungens angvibus frenatis. Angves illi putabantur bini, unde Ovidius lib. V. Met.

-- -- *Geminos Dea fertilis angves*

Curribus admovit, frenisque coërcuit iras.

Neq; aliter effigiem ejus repræsentant nummi veteres. Claudianus istiusmodi vehiculum ei tribuit, in de Raptu Proserpinæ, ubi & de cætero describit eleganter. Bacchum quoq; curru vehi voluerunt, quem trahant tigres. Ovidius lib. I. de Arte:

Iam Deus in curru, quem summum texerat uvis,

Tigribus adjunctis aurea lora dabat.

Virgilius lib. VI. Æneid.

Nec qui pampineis victor juga flectit habenis

Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.

Idem tamen Ovidius & lynces ei tribuit in curru. Versus extant libro IV. Metam.

-- -- *Tu bijugum pictis insignia frenis*

Colla premis lyncum: Baccha Satyrique sequuntur.

Bijuges appellat, unde sequitur, duos tantum habuisse. Quomodo & Martialis ei duos tantum tribuit tigrides, lib. VIII. ad Domit.

Nam cum captivos ageret sub curribus Indos,

Contentus gemina tigride Bacchus erat.

Post hos invenio & Soli datum currum à Poëtis, sive Phœbo. Describit eum pluribus Ovidius in fabula Phaëtonis. Et Prudentius hac de re in lib. I. contra Symmachum:

Hoc sidus currum, rapidasque agitare quadrigas

Commenti. -- -- -- --

Ubi quod commemorat quadrigas, proprium & peculiare est in curru

curru Solis, quando Solem primum quadrigas censent invenisse. Ita discimus ex Hygino, quando ait lib. II. Astron. *Admiratus est ingenium hominis ad Solis inventa accessisse, quod Princeps quadrigis inter Deos est usus.* Ante Solem ergo nullis Dii usi quadrigis putabantur, ipse primus junxit equos quatuor, ex sententia Poëtarum. Quamquam commentum hujus causa, quod per anni partes currat quatuor. Fulgentius in Mytholog. lib. I. *Huius quoque quadrigam adscribunt, illam ob causam, quod aut quadripartitis temporum varietatibus anni circulum peragat, aut quod quadrisido limite die metiatur spacium.* Quatuor ergo equi semper sunt in curru Solis, erratque sine dubio Natalis Comes, quando putat Homerum nominare tantum duos. Verba ejus ita habent lib. V. cap. 13. *Homerus lib. XIII. Odyssea duos tantum Solis equos numeravit, Lampum scilicet, & Phaëtonem.* Sed errat Natalis, quando hi non Solis equi apud Homerum sunt, sed Auroræ. Verba Homeri manifesta sunt.

Δάμωνος καὶ Φαέθωνος, οἱ τὴν ἠὼρ πᾶσι ἄγουσιν.

Lampum & Phaëthona, qui Auroram juvenes ducunt. Non Solem ait ducere, sed Auroram. Equorum Auroræ mentionem facit & Ovidius lib. I. Amor. el. 8. ubi eis roseum tribuit colorem:

— — — *Nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidit equis.*

Parens Memnonis Aurora tradebatur, sicut notum. Aurora igitur secundum Poëtas vecta equis & ipsa, verum binis, iisque roseis, qui Phaëthon & Lampus dicebantur. Unde Pacuvius in Thyeste: *Non illic luteis Aurora bigis.* Ubi nota, luteas pro roseis, quas Nonnius tamen splendidas exponit. Pædo quoque in obitum Mæcen. de Aurora loquens:

Illius aptus eras roseas adjungere bigas.

Contra tamen etiam Virgilius lib. VI. Æn. *Roseis Aurora quadrigis.* Sed hic Solem denotare rectè vidit Donatus, de quo & Servius ad ista verba: *Donatus dicit, Auroram cum quadrigis positam Solem significare.* Sol igitur non binis, sed quaternis vectus equis, neque rosei, sed purpurei coloris. Ita namque Ovidius testatur epistola 21.

Demere purpureis Sol juga vellet equis.

Sed

Sed quid faciendum Marciali, qui & ipse duos tantum Solis equos nominat? Verba ejus hæc sunt:

*Quid cupidum Titana tenes? Iam Xanthus & Aethon
Frena volunt.* -- -- -- --

Gyraldus sanè putat, ipsum quoque duos tantum illi tribuisse. Verba ejus in Syntagmate VII. *Martialis tamen duos solum memorat Solis equos.* Sed non necessariò hinc colligas, quia duos solum memorat, duos quoque solum tribuisse, sæpe namque unum modò nominari videmus in quadrigis, quod jam alibi notatum. Itaque & ipsum memorasse hos, sed sine reliquorum exclusione, arbitramur. De quadrigis certè eo minus dubitare possumus, quoniam & nomina equorum & sexum veteres prodidere. De nominibus scimus ex Fulgentio, qui sic habet lib. I. Mytolog. *Vnde & ipsius (Solis) equis condigna sic nomina posuerunt, id est, Erythreus, Aethon, Lampos, Phlogeus.* Eadem verba legas apud Commentatorem veterem Germanici, p. m. 144. sed ut pro *Lampos* exhibeant *Lampros* meliori ratione, cum *Lampron* uterque *lucentem* vel *ardentem* reddant. Alii alia posuere nomina, sed & ipsa quatuor, ut sit nullum de quadrigis dubium. Ovidius II. *Metam.*

*Interea volucres, Pyroëis, & Eous, & Aethon,
Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auræ
Flammiferis implent.* -- -- --

De sexu cognoscimus ex Hygino, qui sic habet lib. I. cap. 183. *Equorum Solis nomina: Eous, per hunc Cælum verti solet; Aethops, quasi flammeus est, concoquit fruges. Hi funales, sunt mares. Fœmina jugariæ, Bronte, quæ nos tonitrua appellamus; Sterope, quæ fulgitrua.* Ita enim cenleo legendum, pro *Eos, Aethyops, quæ fulgitrua.* Pro *jugariæ* malè hactenus excudi *locariæ* Salmasius quoque vidit. Factum autem hoc ex eo, quia primum *jocariæ* fuit scriptum solennissima τῆ u in o & g in c mutatione. *Jugariæ* igitur fuerunt fœminæ, funales verò mares, secundum Hyginum, licet ipse quoque in eorum appellatione à reliquis dissentiat. Et hæc quidem satis de nominibus equorum Solis atque sexu. Nam quæ ex Homero tradit nomina is ipse Hyginus, nec in iis, quæ supersunt ex Homeri scriptis, leguntur, quantum

quantum scio, & foediffimè sunt depravata, sicut alibi ostendam. Illud observatione dignum, quod ad currum Solis Claudianus jungat non equos, verum gryphes. Verba leguntur in sexto consulatu Honorii: *At si Phæbus adest, & franis grypha jugalem*

Riphaeo tripodas repetens detorsit ab axe.

Sed nimirum sequitur hac parte philosophiam & traditiones Indorum. Quod jam Vossius notavit ex Philostrati lib. III. de vita Apollonii, cap. 14. ubi sic Philostratus: *Τὰ γὰρ θηρία ταῦτα εἶναι τε ἐν Ἰνδοῖς, καὶ ἰερεῖς νομιζέσθαι τῶ ἡλίῳ. Τέτραπύ τε αὐτῶν ὑποζευγνύουσι τοῖς ἀγάλμασι τῶν ἡλίου ἐν Ἰνδοῖς γράφοντας.* *Has enim aves ajunt esse in India, ac Soli sacras, ac quadrigis eas jungunt, qui Solem apud Indos pingunt.* Ubi nota τετραπύων sive quadrigarum vocem, quando & apud Indos hunc, quem dixi supra, numerum animalium: in curru Solis creditum ostendit. Jam, ut Soli, sic & Lunæ tribuerunt currum. Virgilius lib. X.

Iamque dies Cælo concesserat, almaque currum

Noctivago Phæbe medium pulsabat Olympum.

Dicebatur autem uti bigis, non quadrigis. Manilius:

Quadrijugis ut Phæbus equis, & Delia bigis.

Color putabatur albus, sive niveus. Ovidius l. de Rem. Amor.

Vt solet in niveis, Luna vehetur equis.

Nota nominatim equos memorari, quod & fit ab aliis. At Aufonius pro iis habet juvenecas. Verba extant ep. 19.

Iam succedentes quatibat Luna juvenecas.

Sed quæ illæ juvenecæ? Num boves? Ita sanè judicat Prudentius, qui propterea lib. I. contra Symmachum de Luna:

Nunc bigas frenare boves — —

putatur. At in picturis antiquis Hygini currus ejus trahitur à duabus puellis: Quæ cum & ipsæ sint juvenecæ seu juveneculæ, de Aufonii animo possis dubitare; maximè, cum & Ovidius juvenecæ vocem usurpaverit de puella, ep. 5.

Graja juveneca venit, que te patriamque domumque

Perdat: Iô prohibe; Graja juveneca venit.

In vetusto carmine apud Fulgentium lib. I. Mytol. vehiculo Lunari adjunguntur tauri. Verba sic se habent:

Ii

Astri-

Astrigeroque nitens diademate Luna bicornis

Bullatum bijugis conscenderit athera tauris.

Claudianus cervos nominat in eo, in Sec. Conf. Stilich. v. 286.

-- -- *Cervi currum subiere jugales,*

Quos decus esse Dea primi sub limine caeli

Roscida fecundis concepit Luna cavernis.

Sed hic Luna Dianam magis repræsentat, de qua diximus in præcedentibus. Quotiens autem verè Lunam significat, boves potius usurpant, vel eqvos. Quomodo Auctor vetustus Hymnorum:

Ζεύς αμείν πάλας ἐρίανχευας αἰγλήνας

Ἔσωμένως πρότερος ἔλασεν καλλιτριχας ἵππους.

Iunctis equis longæ cervicis fulgidis impetuosè prius agitavit equos pulchricomos. Dant & Nocti bigas Poëta. Claudianus in de Raptu Proserp. v. 275.

-- -- *Sparso Nox humida somno*

Languida caruleis in vexerat otia bigis.

Quibus verbis bigæ caruleæ nigras denotant, quomodo & Plutonis equi sunt carulei, ut supra est ostensum. Præter hæc vehicula, Diis erant consecrata, quibus certabant in ludis. Ita Græci dabant in Olympicis spectaculis, & similibus. Romani habuere in Circo, ubi bigas quidem emittebant in honorem Lunæ. Tertullianus de Spectaculis cap. 5. *Bigas Lunæ sanxerunt. Isidorus: Bigas Lunæ consecraverunt. Bigæ istæ fuerunt equorum, quorum unus nigri, alter candidi coloris erat. Isidorus rursus: Bigas Lunæ consecrarunt, quoniam gemino cursu cum Sole contendit, sive quia & nocte videtur & die. Iungunt enim unum equum nigrum, alterum candidum. Videntur & mulares bigæ huc referri oportere. Nam de his, in ludis publicis, usurpari solitis, non aliis, accipio, quæ leguntur apud Festum: *Mulus vehiculo Lunæ adhibetur, quod tam sterilis ea sit, quam mulus, vel quod, ut mulus non suo genere, sed equi creetur, sic ea Solis, non suo fulgore luceat. Præsertim, cum præcedat proximè à Paulo Festi Breviatore adductum: *Mulis celebrantur ludi in Circo maximo, Consualibus. Trigas dabant Diis inferis. Isidorus: Trigas consecrarunt Diis inferis. Et paulò post, ubi causam addit: *Trigas Diis inferis, quia****

quia hi per tres aetates homines ad se rapiunt, id est, per infantiam, juventutem, atque senectam. Quadrigas referebant ad Solem. Tertullianus: *De jugo verò quadrigas Soli sanxerunt.* Pariter & Isidorus, atq; alij. Erat porro color harum quadrigarum duplex tantum ab initio, albus, & roseus, sive russeus. Hoc enim vult Tertullianus libro de Spectaculis, cap. 5. ubi ait: *Nam initio equi duo soli fuerunt, albus & roseus: Albus hyemi, ob nives candidas, roseus aestati, ob Solis ruborem, votum erant.* Pro duo soli, sunt, qui duo Solis legant, unde hic de Solis eqvis Commentator, Laurentius de la Barre. At nil tale voluit Tertullianus, colorum in Circo numerum binarium solummodo fuisse ostendit, postea demum factum quaternarium. Ideò subjungit: *Sed postea, tam voluptate quam superstitione provec̃ta, roseum alij Marti, alij album Zephyris consecrarunt: Prasinum verò Terra Matri vel Verno, venetum Caelo & Mari, vel Autumno.* Hic sanè prasinus & venetus equus non de colore in eqvis, qualis nullus est in eis, sed quadrigis totis, omniqve illarum apparatu, est accipiendus. Id quod hac occasione annotandum. Sed & hoc non omittendum, licet Soli sacrae forent quadrigae, colores tamen earum pertinuisse roseum seu russeum ad Martem, album ad Zephyros, prasinum ad Terram, venetum ad Mare vel Caelum. Vel, ut alij exponunt, prasinum ad ver, russeum ad aetatem, venetum ad autumnum, niveum ad hyemem. Sed de his occasione alia. Habebant & sejuges in honorem Jovis. Isidorus: *Sejuga maximus currus currit Jovi, propter quod maximum Deorum suorum eum esse credunt.* Porro citra usum aliquem consecrata quoq; Diis vehicula habuere. Liqvet exemplo vehiculi, quod in Midæ regia repositum Gordius Jovi dedicaverat. Justinus lib. XI. cap. 7. *Ille (Gordius) plaustrum, quo vehenti regnum delatum fuerat, in templo Jovis positum, Majestati regiae consecravit.* Nec fortassis aliter fecere alij post finita rustica opera, si genus aliud vivendi instituisent. Sed & quæ capta habuerunt ex hostibus, suspena in postibus consecrare Diis solebant. Unde Virgilius lib. VII.

*Multaque praeterea sacris in postibus arma
Capti vi pendunt currus curvaque secures.*

Li 2

Et

Et Servius hoc loco: *Sacris in postibus, ubi spolia consecrabantur.* Habuerunt ergo inter cætera spolia suspensa & currus, idq; in postibus ædium sacrarum. Quin imò curruum simulachris quoq; istas ædes adornabant. Plutarchus in vita Romuli: *Inter ceteram prædam ex Camerio aneum attulit currum, atq; cum in templo Vulcani dedicavit, cui imposuit statuam suam, quam Victoria coronat.* In Græco est χαλκῆν τεβριπῶον, quod significat currum cum adjunctis eqvis quatuor. Non igitur verus ille currus fuit, sed ex ære ad similitudinem veri formatus, una cum eqvis. Et solebant veteres hoc genere ornare templa maximè in summo. Testantur primo nummi veteres ingenti copia, Græci Latiniqve, ut & monumenta alia. Deinde Scriptores: Quomodo de templo Delphici Apollinis videmus prodere Justinum lib. XXIV. cap. 7. ubi de Brenno: *Præda ubertatem omnibus ostendebat, statuasque cum quadrigis, quarum ingens copia procul visebatur, solido auro fusas esse.* Et de templo Apollinis Palatini Romæ Propertium lib. II. eleg. 3.

Auro Solis erat supra fastigia currus.

Formabantur porro currus hi ad instar bigarum quadrigarumqve primum ex auro, quod superiora docent. Dein ex ære, quod exemplo Romuli cognoscitur. Sed & Livius de iis lib. X. cap. 23. *Eodem anno Cn. & Q. Ogulnii ædiles curules aliquot fæneratoribus diem dixerunt, quorum bonis multatis, ex eo, quod in publicum redactum est, anea in Capitolio limina, Iovemq; in culmine cum quadrigis posuerunt.* Currus hi nonnunquam inducebantur auro. Livius iterum lib. XXXV. cap. 41. *Iudicia in fæneratores eo anno multa severè sunt facta, accusantibus privatos ædilibus curulibus, M. Tuccio & P. Junio Bruto. De multa damnatorum quadrigæ inauratæ in Capitolio positæ in cella Iovis supra fastigium ædiculæ.* Invenio & fictiles ejusmodi quadrigas. Festus voce Ratumena: *Equi feruntur non ante constitisse, quam pervenirent in Capitolium, conspectumq; fictilium quadrigarum, quæ erant in fastigio Iovis templi.* Eadem narrat Plinius lib. XXVIII. cap. 2. & tali modo, ut appareat non infreqvens fuisse. Post hunc usum, qui honori Deorum tributus, vehicula etiam adhibita rebus sacris deportandis. Ita legimus de sacris Cereris apud Servium lib. I. Ge-
org.

org. *Ipsa* (Eleufina mater) *est etiam Ceres, Roma quoque sacra hujus de plaustris vehi confueverant.* Et de rebus in pompa Circenfi solitis circumduci apud Macrobiū lib. I. Sat. cap. 6. ex Verrio: *Evenisse, ut Circensium die puer de cœnaculo pompam supernè despiceret, & patri referret, quo ordine secreta sacrorum in arca pileanti composita vidisset.* Simile quid in sacris Bacchi observamus receptum, nam in iis membrum virile in plostellō ductum. B. Augustinus lib. VII. C. D. cap. 19. ex Varrone: *In Italiae compitis quadam sacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur.* Nam hoc turpe membrum per Liberi dies festos cum honore magno plostellis impositum prius per rura in compitis & usque in urbem postea vehebatur. Amplius vehicula observamus tributa sacris hominibus sive Sacerdotibus. Apud Thessalos profectò Sacerdos Dianæ curru vehebatur. Unde Heliodorus lib. III. describens pompam sacram ejus Deæ, Charicliamq; Sacerdotem: Ἡρῆο ἐφ' ἀρμάμαξίς δὲ τὸ συνωπίδ & λευκῆς βοῶν ὄχευμένη. *Vehebatur harmamaxa, quam trahabat biga boum alborum.* Et Pausanias lib. VII. de ejusdem Deæ pompa apud Patrenses: *In ea virgo, quæ sacerdotio fungitur, postrema omnium cervorum bijugo curru vehitur.* Consimili modo apud Argivos Sacerdos Junonis templum adire non pedibus debebat, verum curru. Herodotus in Clio, ubi verba refert Solonis: Σέσης ἑορτῆς τῆς Ἥρης τοῖσι Ἀργείοισι, ἔδει πάντως πλὴν μὲν ἄλλων ζεύγη κομίσθηναι ἐς τὸ ἱερόν. *Cum dies festus Junonis apud Argivos esset, oportebat omnino matrem eorum ad templum venire junctis bobus.* Loquitur de matre Cleobis & Bitonis, quæ Sacerdos Junonis fuit, quod & ipse docet, & testatur Cicero in Tuscul. I. *Primum Argiæ Sacerdotis Cleobis & Biton filii prædicantur, &c.* Sic apud Romanos virgines Vestales vehebantur curru. Quod cognoscimus ex Prudentio, quando sic de aliqua:

Fertur per medias, ut publica pompa, plateas,

Pilento residens molli. -- -- --

Et huc trahunt viri docti, quæ leguntur apud Tacitum XII. Ann. cap. 42. de Agrippina: *Carpento Capitolium ingredi, qui mos Sacerdotibus & sacris antiquitus concessus.* Quamquam fortè hoc ad Vestales solas non sit adstringendum, cum præsertim Artemidorus

lib. I. cap. 58. testetur, curra in somniis per urbem vehi, virginibus bona sacerdotia portendere. Non autem fœminis sacerdotibus solummodo hoc reperimus tributum, sed & viris. Sic enim de Fidei Flamine apud Romanos Livius lib. I. cap. 20. *Ad Fidei sacrarium Flamines bigis curru arcuato vehi iussit.* Post hunc, in sacris, etiam alius vehiculorum usus erat in negotiis aliis, spectans pertinensque ad honorem. Ita enim constitutum fuit apud Ægyptios antiquissimis temporibus, ut curru veherentur Reges, quod ex Mose quoque cognoscimus, qui mentionem facit hujus consuetudinis lib. I. c. 41. Similis Persarum consuetudo, quod non uno loco docet Xenophon in Pædia. B. Augustinus, in quæst. ex utroque testam. cap. 115. *Persarum Reges vehiculis feruntur. Nam veteres Reges Persarum nec videbantur à populis.* Athenæus lib. XII. cap. de eodem Rege: *Ὅτε εἰς ἰσχάτην αὐλὴν ἔλθοι, ἀνέβαιεν ἐπὶ τὸ ἄρμα, ἐν ᾧ καὶ ἰππῆες, καὶ ζῶν ἐδῆπολε ἑώραθῆν ἔξω τῶν βασιλείων.* *Cum ad aulam ultimam venit, conscendit currum, interdum & equum, pedibus vero ire nunquam extra regiam conspicitur.* Apud Gallos quoque Reges olim vecti curribus. Eginhartus de Gallorum seu Francorum Rege: *Quocumque eundum erat, carpento ibat.* Romani serius hoc instituerunt, instituerunt tamen, ut carpentis veherentur Imperatores, quanquam sic, ut sua uterentur libertate, si equis vehi mallent. De Nerone Svetonius: *Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur.* De Heliogabalo Lampridius: *Habuit gemmata vehicula, & aurata, contemptis argentatis & eboratis.* Sic Heraclii extat nummus, Lipsio editus in calce operis de Cruce, in quo cernitur Imperator carpento sive alio Imperatorio vehiculo insidens. Etiam apud Indos valuit hæc consuetudo, si quæ Curtio est fides. Ita namque habet lib. VIII. cap. 9. *Breviora itinera equo conficit. Longior ubi expeditio est, elephantibus vehunt currum.* Atque ista fortasse causa, cur inter cætera Regum insignia Theodoretus referat & vehicula. Verba ejus serm. 10. τὸ μὲν τῆς βασιλείας περίθρονος σχῆμα πρὸ ἀλεγειῶν, τὸν σέφανον, τὸν θρόνον, τὸ ζῆν & τὸς δορυφόρους. *Regiæ dignitati addita est species per purpuram, coronam, thronum, currum, satellites.* Deinde datum hoc honori etiam eorum, qui munus quoddam nobile in Republica sustinerent. Quo fortasse

fortasse

fortasse pertinet, quod de Pharaone Ægypti Rege legimus, tribuisse Josepho, ut in curru proximè à suo veheretur. Romani saltem sic instituerunt apud se, quanquam serius, & Cæsarum demum temporibus. His enim factum, ut carpento veheretur Præfectus Prætorii, quod ex Notitia veteri colligimus, in qua præter alia insignia Prætorii Præfecto tribuitur etiam carpentum. Idem subinnuit Cassiodorus, quando Præfectum Prætorii in formula ipsius, quæ est lib. VI. cap. 3. comparat Josepho, *qui carpentum reverendus ascendit.* Simili vehiculo & Præfectus urbis est ornatus, de quo idem Cassiodorus dicto libro, cap. 4. *Carpento veheris per nobilem plebem.* Et Vopiscus initio Aureliani: *Vehiculo suo me & judiciali carpento Præfectus urbis, vir illustris, Iunius Tiberianus, accepit.* Sed & Vicarius urbis isto genere utebatur. Cassiodorus cap. 15. libri ante indicati de eo differens: *Ad similitudinem summorum carpento veheris.* Currus etiam pertinuit ad Consules. Inde Cassiodorus rursum lib. II. cap. 2. ad Consulem designatum: *Respice te supra omnium humeros atque ora volitare.* Et paulò ante: *Celsos currus* (ita enim legit Lipsius, non *curfus*) *nisi confidentia magna non appetit.* Senatoribus concessum, ut carrucis ingrederentur honoris gratia. Lamprius de Alexandro Severo, in vita ejus, cap. 43. *Carrucas Romæ & rhedas Senatoribus omnibus ut argentatas haberent, permisit: Interesse Romanæ dignitatis putans, ut his tantæ urbis Senatores vectarentur.* Loquitur de carrucis non simpliciter, sed argentatis, quod notandum. Nam carrucis aliis etiam ante Severum incedebant. Imò præcis jam temporibus hoc obtinuit, si quæ fides Basso, cujus verba refert Gellius lib. III. cap. 18. ubi differit de pedarii Senatoris appellatione: *Hæc etiam vocabuli istius ratio dicitur, quam C. Bassus in Commentariis suis scriptam reliquit. Senatores enim dicit in veterum ætate, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam vehi, in quo curru sella esset, &c.* Sed repugnat, quod à Plinio refertur de Metello lib. VII. cap. 43. *Tribuit ei Populus Romanus, quod nunquam ulli alii ab condito ævo, ut, quoties in Senatum iret, curru veheretur ad curiam. Magnum & sublime, sed pro oculis datum, quos nimirum rapto ex incendio ædis Vestæ Palladio amiserat. Manifestè testatur,*

testatur, nemini ante Metellum hoc indultum. Neq; potest ambi-
gi de fide Plinii, cum superfit hodieqve ejus rei monumentum, in
qvo inter cetera hoc quoque:

TRIBUIT EIP. R. UT, QUOTIES IN SENATUM IRET,
CURRU VEHERETUR AD CURIAM. QVOD A
CONDITO ÆVO NULLI ALII CONTIGIT.

Quæ pæne ipsa Plinii sunt verba. Jam si Metellus fuit primus, cui
concessum curru vehi in curiam, aliquanto serius institutum hoc
necesse fuerit, quam Bassus putavit. Nisi fortè arbitramur id, *in cu-
riam*, à Glossa esse apud Gellium, cum & curru vecti alias videantur,
licet non in curiam, quemadmodum ostendam, cum de curru erit
agendum. Quicquid sit, hoc saltem verum est, tributum postea Se-
natoribus, ut curru, nominatimq; carruca, veherentur. Ab his de-
niq; transit ad honoratos omnes. Quæ de re habemus legem Gra-
tiani, Valentiniani atqve Theodosii, quæ cum alibi, tum in Codice
Justiniano extat lib. XI. t. 19. iltis verbis: *Omnes honorati seu civi-
lium seu militarium vehiculis dignitatis suæ, id est, carrucis, intra ur-
bem sacratissimi nominis semper utantur.* Post hos invenimus etiam
extra ordinem hoc concessum aliquibus, propter singularia quæ-
dam merita. Pertinetq; etiam huc, quod de Josepho legimus &
Pharaone, Ægypti Rege, apud Mosen, Gen. 41. *Fecitque eum (Jose-
phum Pharao) ascendere super currum suum secundum.* Cassiodorus
sanè speciatim hoc tributum sapientiæ ipsius ait, lib. vi. cap. 3. *Cum
Pharao, Rex Ægyptius, de periculo futurae famis in auditis somniis ur-
geretur, nec visionem tantam humanum posset revelare consilium, Jo-
seph, vir beatus, inventus est, qui & futura veraciter prædiceret, & pe-
riclitanti populo prudentissime subveniret. Ipse primum hujus dignita-
tis infulas consecravit, ipse carpentum reverendus ascendit.* Ostendit
autem hoc exemplum, quam vetusta sit hæc consuetudo, & jam
apud Ægyptios recepta. Videtur id ipsam obtinuisse postea &
apud Persas. Ita namq; apud Esram lib. III. cap. 3. juvenes sapientia
inter se certantes: *Dicamus unusquisque nostrum sermonem, qui præ-
telligat: Et cujuscunq; apparuerit sermo sapientior alterius, dabit illi Rex
Darius dona magna, purpura cooperiri, & in auro bibere, & super au-
rum*

rum dormire, & currum aureo freno. Sic interpretis vetus. Nec recedit Castalio, vel Junius, cum ille reddat, *conferet aureis franis currum*; Hic verò, *curru vehetur cum equis franatis auro*. Græca ita habent: Δάσφ' αὐτὸς Δαρεῖς ὁ Βασιλεὺς Δωριεὺς μεγάλας, ἄρμα χρυσοχάλινον, quod hoc ipsum videtur confirmare: Maximè, cum & Josephus iisdem prope verbis lib. II. cap. 4. hoc enarret: τὴν ἄρμα χρυσοχάλινον, licet vertat liberalius non nihil Gelenius, *in cubatu quoque ac vestatione usurum in instrumento aureo*. Quamquam alibi de hac apud Persas consuetudine difficulter quid invenias. Ut fortassis non immeritò quis ambigat, an ἄρμα χρυσοχάλινον sit currus cum frenis aureis apud Æsam. Nempe ἄρμα Græcis equum quoque denotat, quemadmodum apud Latinos currus sæpe ponitur pro equo, sicut Servio jam ad Virgilium notatum est. Ita Xenophonti ἄρμα λευκὸν in Pædia usurpatur. Quia tamen & sic equum ferè non simplicem, sed vehiculo adjunctum, iccirco temerè ab expositione vulgari haud fuerit recedendum. Apud Græcos quoque non omnino ignoratum hoc fuisse videtur. Nam & Hector apud Homerum II. K. currum se cum equis datum ait illi, qui explorare castra hostium ausus fuerit. Ita namque ait:

Τίς κέν μοι τόδε ἔργον ὑποσχόμεν ὅ τελέσειε
 Δώρω δ' ἔπι μεγάλῳ μισθὸς ὃ οἱ ἄρμι ὅ ἔσται
 Δώσω γὰρ δίδραχρον τε δ' ὕω τ' ἐπιδύχνας ἵππους.

Quis mihi promittit conficere hoc negotium sub premio eximio? Dabo ei namque vehiculum duosque equos arduæ cervicis. Etiam, qui Victores in ludis Olympicis extitissent, curru honorabantur, quo disjunctis quoque urbis mœnibus ingrederentur in patriam. Vitruvius lib. IX. præfat. Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Græcorum majores ita magnos honores constituerunt, ut, cum reverterentur in suas civitates cum victoria triumphantes, quadrigis in mœnia & in patrias revertantur. Meminit ejusdem rei Plutarchus II. Sympof. 5. itemque Diodorus lib. XIII. ut nunc alios omit- tam. Olympionicarum morem imitati sunt Romani, Ducesque suos post victoriam in bello triumphare curru voluerunt. Unde Seneca I. de Benef. cap. 5. Quid habet per se corona pretiosum? quid prætex-

Kk

ta?

ta? quid fasces? quid tribunal & currus? Nihil horum honor est, sed honoris insigne. Currus hic est currus triumphalis, sicut rectè Lipsius exponit. Et quia eo triumphabant, inde currus sæpe ipsum denotat triumphum. Ut in illo Ciceronis lib. xv. ep. 6. ad Catonem: *Et si non modo unus, verum etiam multi Catones essent in civitate nostra, in qua unquam extitisse mirabile est, quem ego currum aut quam lauream cum tua laudatione conferrem?* Non absimile est, quod de Aulum virgipibus memorat Herodotus lib. iv. consuevit quotannis certo die inter se pugnare lapidibus, post fortissimam ex eis imponere vehiculo, & ornatam armis ducere circum paludem. Κοινή παραδεινον πῶν καλλιστέουσιν ἐκάστῳ ἐκ κομισάμενος κοινή τε Κορινθίη καὶ πανοπλίη Ἑλληνική, καὶ ἐπὶ ἄρμα ἀναβιβάσασθαι, περιάγουσι πῶν λιμνῆν κύκλω, inquit. Curru curiam ingrediendi jus honoremque apud Romanos consecutus est Metellus ob animi constantiam, quia ex mediis flammis, etiam cum oculorum suorum damno, Palladium eripuit, cum templum Vestæ arderet, quia de re jam supra egimus. Ob fidem Constantina dedit delatoribus, ut curru circumveherentur. Ammianus lib. xiv. *Ascenderat super his incitatum propositum ad nocendum aliqua mulier vilis, quæ ad palatium ut poposcerat intronmissa, insidias ei latenter obtendi prodiderat à militibus obscurissimis: Quam Constantina exultans, ut in tuto jam locata mariti salute, muneratam, vehiculoque impositam per regias januas emisit in publicum, ut iis illecebris alios quoque ad indicanda proliceret paria vel majora.* Erat & hoc apud veteres receptum, ut quem honorarent misso obviam vehiculo. Sic à Nerone factum in honorem Teridatis, de quo Xiphilinus lib. LXIII. *Ἐν ἡ τῆ Ἰταλία ζεύγῃσι περιφθεῖσιν ὑπὸ τῷ Νέρωνι ἐπινοήσθη. In Italia vectus est vehiculis à Nerone ipsi missis.* Et à Dionysio in honorem Platonis, de quo Plutarchus in Dione: *καὶ γὰρ ἄρμα τῶν βασιλικῶν ἀπὸ παρῆς τοῦ κοινοσημένων διαπερπῶς, ἀποβάνη τῆς τριήρης. Nam ei (Platoni) currus unus ex regis præstò fuit, cum descenderet è triremi.* Plinius Dionysium ipsum excepisse illum curru scribit in littore, lib. vii. cap. 3. *Platoni, Sapientie Antistiti, Dionysius tyrannus, alias sevitie superbiæque natus, vittatam navem misit obviam, ipse quadrigis albis egredientem in littore excepit.* Ubi nota, quod Plutarcho ἄρμα τῶν βασιλικῶν, id Plinio esse

esse *albas quadrigas*, quia hujus generis Regum vehicula plerumque fuere. Quod de Regibus Persarum jam notavit Barnabas Briffonius lib. I. de Reg. Perf. Ælianus noster eo amplius Dionysium aurigam scribit fuisse lib. IV. Var. cap. 18. Ὅτι καὶ ἦλθε Πλάτων ἐν Σικελίᾳ κλητὸς, πολλὰ ἐπὶ πολλοῖς ἐπισείλαντο τῶν Διονυσίων, καὶ ἀνήγαγεν αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἄρμα ὁ νεώτερος Διονύσιος, αὐτὸς μὲν ἵππων, παραβάτην δὲ ποισάμενος τὸν Ἀριστῶνα. *Cum in Siciliam venisset Plato, multis crebrisque litteris Dionysii evocatus, Dionysius junior in currum eum imposuit, ac ipse quidem egit aurigam, sessorem verò fecit filium Aristonis.* Invenimus quoque aliud honoris genus, ut, qui dignitate major esset, in vehiculum reciperet minorem. Id quod observatum fuit apud Imperatores Romanos. Hinc Vellejus de Octavio lib. II. cap. 59. *Quem (Octavium) C. Cæsar comitem habuit, nunquam alio usum hospitio, quam suo, aut alio vectum vehiculo.* Photius de Dione Chrysofomo: *Viguit Trajano Romæ imperante, cum quo diu multumque vixit in ea existimatione atque honore, ut cum Augusto communi interdum carpento veberetur.* Et quia facere hoc neglexit Constantius, idè superbus fuit habitus. Ammianus lib. XVI. *Quod autem per omne tempus imperii nec in confessum vehiculi quenquam recepit, nec in trabea socium privatum adscivit, ut facere Principes consuevere, & similia multa, quæ elatus in altum supercilium, tanquam leges æquissimas, observavit, prætereo.* Locus annotatione dignus, qui ostendit manifestè, hanc fuisse Principum Imperatorumque olim consuetudinem. Fecerunt idem Magistratus alii. Hinc Vopiscus de se ipso initio Aureliani: *Hilaribus, quibus omnia festa & fieri debere scimus & dici, impletis solennibus, vehiculo suo me & judiciali carpento Præfectus urbis, vir illustris ac præfata reverentia nominandus Iunius Tiberianus, accepit.* Porro, & ob sexus reverentiam honoremque legimus tributum mulieribus, ut uterentur vehiculis, præsertim, si ad publica & solenniora quædam prodire negotia cogerentur. Ita pridem receptum fuit per Italiam, quæ de re Ovidius lib. I. Fastorum:

Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant.

Colligitur hoc idem ex Valerii oratione apud Livium lib. XXXIV. cap. 7. ubi de matronis Romanorum: *Vniuersis dolor & indignatio*

est, quum sociorum Latini nominis uxoribus vident ea concessa ornamenta, quae sibi adempta sint, quum illas vehi per urbem, se pedibus sequi, tanquam in illarum civitatibus, non in sua, imperium sit. Agit ibi Valerius de abolenda lege Oppia, quae interdictum fuit matronis Romanis, vehiculo incedere, quod concessum olim erat, teste dicto Livio lib. V. cap. 25. Grata ea res, ut quae maxime, Senatui fuit, honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur. Vehabantur itaque vehiculis matronae etiam Romanae, quod faciebant pridem per Italiam aliae, idque partim propter sexum, partim munificentiam, quae inopiae publicae subvenerant. Ac licet per viginti annos ob legem Oppiam hoc usu fuerint privatae, tamen postea eundem receperunt & retinuerunt omni pene tempore. Fuit eadem consuetudo Graecorum. Idcirco Scholiae Aristophanis: Αἱ τῶν Ἀθηναίων γυναῖκες ὅτι ἀμαξῶν ὀχούμεναι εἰς τὰ μεγάλα Ἐλευσίνα ἀπέρχονται. Atheniensium mulieres curru vectae ad magna Eleusina proficiscebantur. Et Hesychius: Κάνθαρα, ἀμαξα πλέγμα ἀέχουσα, ὅφ' ὧν πομπέουσιν αἱ παρθενοὶ, ὅταν εἰς τὸ τῆς Ἑλένης ἀπίωσι. Canathra vehiculum est cum textu vimineo, in quibus vehi virgines solebant in pompa, cum proficiscebantur ad sacra Helena. Didymus apud Athenaeum lib. IV. cap. 7. ubi agitur de Hyacinthiis, festo Spartanorum: *Virginum autem aliae cantharis vehiculis, ligneo textu clausis, magnoque sumptu ornatis, aliae curribus agonisticis vehuntur.* Noctu addere lucernam debebant, ex lege Solonis. Plutarchus: Μὴδ' ἐνύκτω πορεύειν πῆν ἀμαξήκομιζομένην, λύχνην παραβαλόντα. Non permisit noctu, nisi curru vectam, praelucente face, iter facere. Imprimis observatum hoc in nuptiis, si Sponsa ducenda esset ad virum. Solebat enim sellae insidens in currum imponi, quam consuetudinem non ita pridem observavit quoque celeberrimus Joann. Georgius Grævius in eruditissimis lectionibus Hesiodicis, cap. 21. Nempe mentionem ejus facit ipse etiam Hesiodus in Scuto Herculis, v. 273.

Τοὶ μὲν γὰρ εὐσώτρως ἐπ' ἀπίνης
ἦγον ἄνδρ' ἡ γυναῖκα, πολὺς δ' ὕμναις ὄρωρε.

Alii quidem fabrefacto in curru ducebant viro uxorem, multusque hymeneus

menaus excitabatur. Hinc Plutarchus in de Virtutibus Fœm. ubi de Chiis: Ἀγομένης ἡ τῆς νύμφης ἐπὶ ζεύγε. *Cum autem Sponsa duceretur in vehiculo, &c.* Pollux lib. III. cap. 3: Ἐπὶ ζεύγε. ἡ αἰ νύμφαι ὡς ἐπὶ Σοπολὺ μὲλῆσαν. *Vehiculo verò Sponsa plerumque vehebantur.* Adde Suidam voce ζεύγε, ubi latè ritum omnem describit: Item Synesium ep. 3. qvos laudat & Briffonius in de Ritu Nupt. pag. m. 515. Nam Apulei quidem locus, qvem & ipsum citat, huc non pertinet, qvippe in qvo nupta vecta dicitur octophoro. Fuit enim hoc receptum etiam non nuptis, qvod jam in superioribus ostensum est. Datus autem honor apud veteres non modò per currus veros, sed & ex ære marmoreve factos. Qvales innumeri leguntur, apud Pausaniam præcipuè. Nimirum Græci dabant omnibus, qvi in ludis publicis curru exitissent Victores. Plinius lib. xxxiv. cap. 5. *Græci caletas dicabant in sacris Victores.* Postea verò, & qui bigis vel quadrigis vicissent. Qvanquam non his solis, sed & aliis, qvos insigni honore volebant ornatos. Sic enim Philippum qvoq; Regem filiumq; ejus Alexandrum coluere. Unde idem Plinius dicti libri cap. 8. de Euphranore statuario: *Fecit & quadrigas bigasque. Item Alexandrum & Philippum in quadrigis.* Ab his res transiit ad Romanos, qvi sic triumphantes primum honorarunt, teste dicto auctore. *Vnde, inquit, & nostris currus in his, qui triumphavissent.* Deinde illos, qvi dedissent Populo munus. Qvo respexit Cyprianus in sermone primo de Junio, ubi ait: *Quanto istic & apparatus uberior & sumptus largior exhibendus est, ubi munerario non quadriga vel consulatus petitur, sed vita aeterna praestatur.* Videtur & Plinius hoc voluisse dicto ante loco, quando dicit: *Non vetus & bigarum celebratio in his, qui Prætura functi curru vecti essent per Circum.* Nam curru vecti per Circum possunt intelligi, qvi auctores muneris & ludicri pompæ Circensæ adfuisse. Sic enim receptum fuit. Unde Juvenalis Sat. X.

Quid, si vidisset Prætorem in curribus altis

Exstantem, & medio sublimem in pulvere Circi?

Et Symmachus vi. ep. 41. *Natali urbis susceptum Consulem currus, quo vehebatur, evolvit, per ferociam bigarum, quæ triumphum vehebant.* Triumphum vocat pompam Circensem, ante ludos Circenses,

quos dabat Consul ea die. Atque hoc est *æqua ieger*, seu sacrum vehiculum, quod memorat Dionysius Halic. lib. V. *Alter Consul, Manius Tullius, in sacris his & ab urbe denominatis ludis, dum pompa deducetur, è sacro curru in ipso Circo prolapsus est.* Postea res venit ad Imperatores Cæsaresque, quibus & ipsis currus decreti. Quomodo Pollio de Pifone: *Ceteri consulti statuam inter triumphales, & currus quadrijugos Pifoni decreverunt.* Erat tamen differentia inter hos & triumphales currus, quod hi essent rotundi, specie verorum, quibus incedebant triumphantes, illi specie eorum, quibus certabant in Circo, sicut monumenta prisca docent. Etiam hoc observandum, quod hi currus facti non cum equis solum, sed & elephantis. Docet utrumque Capitolinus in Maximinis, quando ita scribit acclamatum Principibus: *Victoriæ causa Principibus nostris, Maximo, Balbino & Gordiano, statuas cum elephantis decernimus, currus triumphales decernimus.* Faciunt alios currus triumphales, alios cum elephantis, ut apparet. Nam per statuas cum elephantis currus esse intelligendos, si nil aliud, nummi saltem temporum eorum ostenderent. Collocabantur autem currus illi in locis celebrioribus, circis, arcubus, & id genus. Unde Prudentius lib. II. in Symmach.

Frustra igitur currus summo miratur in arcu

Quadrijugos.

Et in nummis Augusti, Domitiani, Alexandri Severi, aliorumque, currus ejusmodi, etiam cum elephantis, videas non semel. Pertinebant alias vehicula etiam ad ludos & certamina. Nam & Græcis inde à temporibus Trojanis currebant, posita certa meta, ad quam contenderent, quemadmodum Homerus ipse auctor est. Liqvetque amplius ex libro VI. Statii, ubi pariter certamina Græcorum talia describit. Postea res est deducta ad solennia Græciæ spectacula, quod notissimum, unde tandem Romam venit in Circum. Dionysius Halic. lib. VII. cap. 72. *Reliquum est, ut & de certaminibus, quæ post pompam (Circensem) inibantur, paucis differam. Primus erat quadrigarum, bigarum singulariumque equorum cursus, sicut apud Græcos olim in Olympia, & nunc quoque.* Sed de Circi certaminibus Onuphrius & alii abunde. Nero instituit, non in Circo, sed in Abaco,

nec

nec quadrigis veris, sed eburneis. Svetonius in vita ejus, cap. 22. ubi de summo ejus studio eqvorum & Circensium: *Inter initia imperii eburneis quadrigis quotidie in Abaco lusit.* Casaubonus ad hunc locum: *Satis constat, hoc genus lusus expressisse in Abaco Circensium simulacrum: Nam ea manifestò mens Svetonii.* Addit, idem factitatum ab Heliogabalo in tricliniis, sicq; intelligendum Lampridium, ubi ait, cap. 27. *Quadrigas Circensium in tricliniis & in porticibus sibi semper exhibuit pransitans & cœnitans.* Sed vix mihi dubium, quin de veris agat hic quadrigis, non formatis ex ebore. Quia sequitur: *Convivas senes agitare cogens, nonnullos honoratos.* Scilicet, ut alii alia, & in his gladiatorum etiam certamina, sic Heliogabalus quadrigas Circenses in cœna & ad mensam spectabat. Quod non potest mirum videri, qui cæterum ejus cogitare volet luxum. Vehiculorum quoq; usus olim fuit aliquis in Tragœdia; In eis enim agere ante theatrorum scenarumqve inventionem, & in vulgus ludere diæteriis solebant. Quam ob rem Horatius in de Arte Poëtica v. 275. *Ignotum Tragica genus invenisse Camœna*

Dicitur, & plaustris vexisse pœmata Thespiis.

Meminit & Sidonius Carm. IX. v. 232.

Aut plaustris solitum sonare Thespin.

Lambinus ad Horatium: *Antequam scena esset inventa, Thespiis in plaustris tragœdias docebat, idemque agebat.* Et Johannes Bond. *Thespiis Atheniensis, primus Poëta tragicus, tragœdias docuit, atque egit in plaustris, quibus poëta circa vicus fuerunt circumacti, antequam scena esset inventa.* Scaliger tamen factum hoc existimat non ante scenæ inventionem, sed ante destinationem ejus in peculiari quopiam fixoque loco, scenam enim pensilem tum solitam haberi, ut in plaustris posset circumvehi. Verba ejus lib. I. Poët. cap. 6. *Satis constat illud, à Thespi Poëta factam nitidiorem tragœdiam, qui primus pensiles scenas in plaustris circumegit.* Simili pæne modo Medici nonnulli circumvehere medicamenta sua solebant, & velut scenam artis suæ instruere, quod ne hodie quidem est ignotum. Græci eos ob hanc causam *ιατρῶν ἐπιδρόμιος* appellabant, ut ex Troilo Sophista in prologo ad Hermog. observamus. Hesychius: *Ἐπιδρόμιος, τὰ ἐπὶ τῶν ἀρμάλων δρόμων.*

διφζω. Sic ergo & ἰατρὸς ἐπιδιφζω, quia de vehiculo medicinam profi-
tebatur. Est & ille celebris apud veteres vehiculorum usus, quando
eis nuncii & tabellarii currebant. Auctor ejus apud Romanos fuit
Augustus, de quo Sveton. cap. 49. *Quo celerius ac sub manum annun-
ciari cognoscique posset, quid in provincia quaque gereretur, juvenes pri-
mo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula disposuit.*
Subjicit & causam, cur vehiculis eos uti maluerit. *Commodius, in-
quit, id visum est, ut, qui à loco eidem perferrent litteras, interrogari
quoque, si quid res exigeret, possent.* Meminit vehicularis hujus cur-
sus etiam Plutarchus in Galba, simulque ostendit, quia ratione illa ob-
tinuerint vehicula. *Servos publicos, inquit, destinaverunt Consules ad
deferendum Imperatori Senatusconsultum, & consignata dederunt di-
plomata: Quorum signo cujusque oppidi Magistratus per dispositos cur-
sus tabellariorum cursum accelerant.* Factum hoc ait interventu di-
plomatis, quod Pancirollus in Comment. ad Not. Imp. p. 23. codi-
cillos exponit duplicata charta. Sed inclino magis in sententiam
Budæi, qui tesseram cum signo principali ait fuisse. Plutarchus
enim σφραγίδα memorat in eo, alibi que διπλώμα σισημασμένον vocat,
quod aperte ostendit, signum in eo ab impresso ceræ annulo fuisse,
sive id Principis unius, sive aliorum Magistratum, præsertim in
provinciis degentium, fuerit. Quo præsertim refero, quod habet
Plinius lib. X. ep. 14. *Rex Sauromates scripsit mihi, esse quædam, quæ
deberes quam maturissime scire, qua ex causa festinationem tabellarii,
quem ad te cum epistolis misit, diplomate adjuvi.* Item, quod habetur
apud eundem epist. 121. & in responsione Trajani, ubi ait: *Nec dubi-
tandum fuisset, si expectasses, donec me consuleres, an iter uxoris tuæ di-
plomatibus, quæ officio tuo dedi, adjuvandum esset.* Verba, quæ officio
tuo dedi, Buchnerus certè sic exponit: *Quorum concedendorum tibi
potestatem pro ratione officii, quod in presenti sustines, dedi.* Quan-
quam nil obstat, quo minus ipsis inhæreamus verbis, credamusque
datos Præsidibus provinciarum aliisque Magistratibus ab Imperato-
re ipso codicillos signo Imperatorio munitos ad istiusmodi usus.
Cum præsertim, quod ex his Plinii epistolis observamus, tanta reli-
gione tractaverint, nec ad alia quam publica negotia dederint, nisi
venia

venia ipsius Imperatoris ante impetrata. Erat autem opus diplomatibus & signis istiusmodi, ne ex causa qualibet quislibet exigere vehicula posset ab iis, quibus onus præstandi ea incumberebat, sed liqueret, præstari in usus Reipublicæ ac Principis. Multo magis autem postea hoc necesse fuit, cum à privatis hoc onus translatum est ad Fiscum post Severi tempora, ne absque causa publica patrimonium Imperatoris ab omnibus consumeretur. Cæterum, hunc cursum putant viri docti institutum ad exemplum Angarorum atque Astandarum apud Persas, item Hemerodromorum apud Græcos. Et profectò, si respiciamus usum & propositum, ubique illud quidem fuit idem. At Græcorum Hemerodromi currebant pedibus. Unde Livius lib. XXXI. cap. 24. *Et respondisset, ni speculator (Hemerodromos vocant Græci, ingens die uno cursu emetientes spatium) Athenas pervenisset.* Persarum verò Angari equitabant, nullisque utebantur vehiculis, sicut liquet ex proluxa eorum descriptione, quæ legitur apud Xenophontem lib. VIII. Pæd. Unde & Herodotus lib. VIII. τὸ τοῦ ἀγγαρίου τῶν ἰππῶν καλεῖται Πέγσαι, Ἀγγαρίων. *Hunc cursum equestrem Persæ vocant Angarium.* Contra cursus Augusteus & Romanus vehicularis fuit. Hinc Capitolinus de eo in vita Antonini c. 12. *Vehicularium cursum summa diligentia sublevavit.* Neque alia est causa, ob quam equos ad hunc cursum destinatos olim nominaverint veredos. Festus: *Veredos antiqui dixerunt, quod veherent rhedas, id est, ducerent.* Quamquam postea res immutata fuerit, didique veredi etiam equi simplices absque rheda, destinati ad hoc munus. Unde Procopius lib. XI. de bello Pers. ὁ ἰππὸς τοῖς δημοσίοις ὀχούμενος, ἔστι βεπέδ' ἔς καλεῖται verόμινος. *Equus verò, quo utuntur in viis publicis, quales usitatum veredos appellari.* Nempe sequentibus temporibus obtinuit, ut cursus hic equestris esset, sicut idem Procopius testatur, ex quo descripsit etiam Pancirollus. Verba hæc sunt: *Imperatores Romani modum excogitarunt, quo cuncti sibi quam celerrimè possent nunciari, & ut scirent, quæ ubique inter hostes agerentur, & si qua in civitatibus seditio, vel quid aliud improvisum à Præsidibus, vel aliud quomodocunque oriretur, & ut annua tributa velociter & tuto transmitterentur. Publicum ergo & celerem quendam cursum hoc mo-*

do insituerunt: Viro expedito ad iter diei stationes constituerunt quandoque octo, quandoque pauciores, non tamen minus quinque, quod plurimum eveniebat. Quadraginta verò equi in singula mansione stabulabantur, & itidem hippocomi, ad curandos, quot poterant, equos, erant destinati. Sed de cursu isto jam prolixè alii. Venio ad usum alium, quo fuerunt, qui vehicula haberent loco ædium, & in eis habitarent. Celebres hoc nomine sunt Scythæ, quando inde nomen quoque pepererunt sibi, atque hamaxobii sunt appellati. Theodoretus in Paneg. Joann. Chrysa. apud Photium: Πρώτῳ & ἑξῆς τοῖς ἀμαξοβίοις Σκυταῖς, θυσιαστῆρια ἐπέχεας. Primus apud Scythas hamaxobios aras extruxisti. Nempe hamaxa Græcis plaustrum est. Habitabant autem in plaustris corio contectis. Justinus lib. II. cap. 2. Vxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus coriis imbrium hyemisq; caussa tectis pro domibus utuntur. Mallent viri docti legere corticibus pro coriis, sed nil immutandum, nam de coriis testatur etiam Cinnamus lib. I. Hist. ubi de Scythis: Plaustris se circumdederunt, βοείοις ἀνωθεν βύρσαις περιετέκτες, quæ coriis bovinis superne habebant contecta. Sed de hac re dicam & sequenti libro. De plaustris confirmat & Ammianus, quando tribuit Alanis, qui Scythæ sunt, lib. XXXIX. Vagantur supersidentes plaustris, quæ operimentis curvatis corticum per solitudines conferunt. Item lib. XXXI. Nec enim ulla sunt eis tuguria, aut versandi vomeris cura, sed carne & copia victitant lactis, plaustris supersidentes, quæ operimentis curvatis corticum per solitudines conferunt, sine sine distentas. Item post: Velut carpentis civitates impositas vehunt, maresque supra cum feminis coeunt. Et nascuntur in his & educantur infantes, & habitacula sunt illis perpetua, & quocumque ierint, illic genuinum existimant larem. Eadem commemorat & de Hunnis. Adscribam verba ejus etiam de ipsis: Omnes sine sedibus fixis, absque lari vel lege aut ritu stabili dispalantur, semper fugientium similes, cum carpentis, in quibus habitant, ubi conjuges ex villis vestimenta contexunt, & coeunt cum maritis, & pariunt, & ad usq; pubertatem nutriunt pueros. Nullusq; apud eos interrogatus respondere, unde oritur, potest, alibi conceptus, natusque procul, & longius educatus. Eandem olim veterum Gothorum consuetudinem fuisse, discimus ex B. Ambrosio, qui propterea

propterea de ipsis ep. 73. *Vi Gothis olim plaustra sedes erant, ita nunc plaustrum ecclesia est. Vocat sedem, quod alias est domicilium. Quemadmodum & Mela lib. II. Hujus flexum Briges amnis secat, Agathyrsi & Sauromatae ambiunt, qui pro sedibus plaustra habent, dicti hamaxobitae.* Ubi nota, dici *hamaxobitas*, qui aliis sunt *hamaxobii*, & ad genus hoc in plaustris habitantium referri Agathyrsos etiam, & Sauromatas. Etiam de Æthiopibus ex Philostrato colligimus, qui lib. VI. cap. 12. vitæ Apollonii, eos ἐφ' ἀμαξῶν πεπολισμένους nominat, hoc est, tales, qui rempublicam suam habeant in vehiculis. Nescio, an Cimbro quoque in hunc censum referre debeamus. Equidem sic Plinius lib. VIII. cap. 40. *Canes defendere Cimbris cæsis domus eorum plaustris impositas.* Sed hæc lectio est Dalechampii. Alii libri habent, *cæsis Dominis*. Rhenanus edidit: *Cimbro cæsis Dominis e. p. impositi.* Hermolaus Barbarus: *Cimbro ac cæsis Dominis eorum plaustris impositis.* Puto lectionem veram esse: *Canes defendere Cimbras, cæsis Dominis eorum plaustris impositis.* Loqui de mulieribus Cimbrorum videtur, quæ maritos secutæ fuerant in bellum. Eas defenderunt canes, cum viri essent cæsi, plaustrisque impositi, quo eripi hostibus ad sepulturam possent. Nisi malimus, *cæsis Dominis earum, plaustris impositas*, ut impositæ plaustris ipsæ mulieres intelligantur, ritu militiæ, de quo in sequentibus. Sanè de Cimbrorum mulieribus Plutarchus etiam in C. Mario: Αἰ γυναικες ἐπὶ τῶν ἀμαξῶν μελανείμονες ἐφεστῶσαι. *Fæmina consistebant in plaustris pullatæ*, quam nihil habeat de canibus. Cæterum, ut his vehicula domorum vice habebantur omni tempore, ita aliis nonnullis ex occasione, noctu præsertim, quod de Regibus Hebræorum observat Grotius. In defectu namque domus vehiculum pro tecto eis ait ac cubiculo fuisse. Idque colligit ex lib. I. Reg. cap. 26. ubi sic vulgata: *Venerunt ergo David & Abisai ad populum nocte, & invenerunt Saul jacentem & dormientem in tentorio.* Grotius hoc loco ita notat: *In tentorio: LXX. ἐν λαμπήνῃ. Ita vocabatur currus Regius, teste Polluce. Optimè. Nam Reges solent, ubi domus non sunt, dormire in curribus: Et vox חַרְצוּץ ab eadem origine currum significat plurimis in locis. Pertinebant alias vehicula ad valetudinem.* Atque primum quidem ad

exercitationes quasdam corporis. Firmat Plinius exemplo suo. Inde lib. IX. ep. 36. ad Fulcum: *Vbi hora quarta vel quinta, (neg, enim certum dimensumq, tempus) ut dies svasit, in Xystum me vel cryptoporticum confero, reliqua meditor & dicto, vehiculum conscendo.* Et paulò post: *Nonnunquam ex hoc ordine aliqua mutantur. Nam si diu tacui vel ambulavi, post somnum demum lectioremque non vehiculo, sed, quod brevius, quia velocius, equo gestor.* Bene, gestor, ad gestationes enim referebant, ipsi quoque Medici. Celsus lib. II. *Genera gestationum plura, sed tamen levissima est navi vel in portu, vel in flumine, vehementior in alto mari vel lectica aut scamno, acrior vehiculo.* Ac de istiusmodi gestatione accipio, quod de Trimalcionis puero in chiramaxio lato memorat Petronius, ut dicam alio loco. Solebat porro hæc gestatio institui in porticibus plerumque aut nemoribus ad hoc adornatis. Unde Juvenalis Sat. iv. de Crispino:

Quid refert igitur, quantis jumenta fatiget

Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra.

Lubinus hoc loco: *Viridaria & hortos egregios intellige, in quibus vectabantur, & umbram captabant in calore æstatis.* Deinde morbos quoque, si quando eis essent infestati, pellere vectatione tali quærebant. Ita Seneca gestatione tali utebatur, quo abstergeret bilem, faucibus hærentem. Ipse Epist. 55. *Agestatione cum maxime venio, non minus fatigatus, quam si tantum ambulassem, quantum sedi. Mihi tamen necessarium erat concutere corpus, ut, si ve bilis infederet faucibus, discuteretur, si ve ipse ex aliqua causa spiritus densior erat, extenuaret illum jactatio, quam profuisse mihi sensi. Ideo diutius vehi perseveravi, invitante ipso littore, &c.* Laudant Medici & in capitis affectionibus, visu debilitato, paralyfi, epilepsia, febribus ad postremum, quod prolixè Hieronymus Mercurialis lib. III. *Artis Gymnasticæ, cap. 10. & lib. VI. cap. 10. testatur.* Sed & si qui alias ob morbum pedibus uti difficulter possent, ministerio vehiculorum incedebant. Inde illud legis XII. tab. *Si in jus vocat, si morbus ævitas ve vitium extitit, qui in jus vocabit, jumentum dato.* Quod exponit Sext. Cæcilius apud Gellium lib. XX. cap. i. his verbis: *In jus vocato pauperrimo homini vel inopi, qui aut pedibus forte ægris esset,*
aut

aut quo casu alio ingredi non quiret, plostrum esse dandum censuerunt, neque inferni tamen delicate arceram jusserunt, quoniam satis esset invalido hujusmodi vectaculum. Liqvet, plaustro aut vehiculo usos tales, si quando procedere in publicum necesse foret. Ita cum se ipsum sauciaffet Pisisstratus, *ἦνεν εἰς ἀγορὰν ἐπὶ ζεύγους νομισσομένων*, inquit Plutarchus in Solone, hoc est, *rheda vectus in forum*. Neq; alio retulerim, quod legitur de Erichthonio. Servius ad Georg. III. Virg. *Erichthonius ad tegendam pedum fœditatem junctis equis usus est curru, quo tegeret sui corporis turpitudinem*. Dicit quidem, factum ad tegendam pedum fœditatem. Verum ea non tam fœditas quam infirmitas intelligenda, quando pedes draconteos volunt habuisse. Sunt enim dracontei, quibus reptant serpuntque potius, quam ambulant. Cœci quoq; usi sunt vehiculis, cum in publico versari deberent. Cornelius de Timoleonte, cap. 4. *Hic cum atate jam pro vectus esset, sine ullo morbo lumina oculorum amisit, &c. Veniebat autem in theatrum, cum ibi concilium populi haberetur, propter valetudinem vectus jumentis junctis, atq; ita de vehiculo, qua videbantur, dicebat*. Eadem commemorat Plutarchus. Respexerunt porro huc, qui apud Romanos etiam Marcello cœco vehiculum decreverunt, quo in curiam itaret. Qua de re quia dixi satis in superioribus, hic nihil repeto. Videtur autem in univsum hoc tributum senibus, ut vehiculo uterentur. Inde in lege XII. tabularum ante adducta: *Si evitas vitium extitit. Et Gellius prædicto loco: Arcera nimis ægri aut senes portari cubantes solebant*. Hac de causa etiam Aufonius epist. 14. ad Paulum senem:

*Pelle soporiferi senium nubemque veterni,
Atque alacri mediam carpe vigore viam.
Sed cistum aut pigrum cautus conscende veredum.
Non tibi sit rheda, non amor acris equi.*

Memoratque de Antiocho Medico Galenus, quod annos natus plusquam octoginta, si ei longius ire necesse esset, sella aut vehiculo uteretur. Sic de Spurrinna septem & septuaginta annorum Plinius lib. III. epist. 1. *Deinde confidet, & liber rursus, aut sermo libro potior: Mox vehiculum ascendit: Assumit uxorem singularis exempli, vel ali-*

quem amicorum, ut me proximè. Quæ exempla simul docent, non ob infirmitatem modò, sed & exercitationem, adhibita à senioribus. Venio ad alium vehiculorum usum: Solebant enim eis aliquando exportari defuncti. Atq; primum quidem factum hoc honoris gratia: Nam Matronæ, quæ filios habuissent in curuli dignitate constitutos, curru sellaq; curruli efferebantur. Ita colligit Jos. Scaliger ex illo Propertii lib. iv. el. 12. ubi Cornelia ad Paulum:

-- -- -- Sim digna merendo
Cujus honoratis ossa vehantur equis.

Veteres habuerunt *aquis*, sed alteram sui codicis ait esse lectionem, additque: *Hæc confirmant, quæ superius dixi, nempe Matronas honorariis vestibus, curru & sella curuli efferrî, quæ filios consulares aut aliis curulibus Magistratibus functos relinquerent. Nam equi honorati sunt curules, vel currus prætorius, in quo sella curulis.* Deinde sumptus minuendi gratia in pauperibus ac servis. Apud Massilienses profectò sic obtinuit, de quo Valerius Maximus lib. II. cap. I. *Duæ etiam ante portas eorum arce jacent; Altera, qua liberorum, altera, qua servorum corpora ad sepulturæ locum plauastro devehuntur.* Ubi nota plaustrî usum in hoc negotio. Forsitan fecerunt ita & Romani, maximè, cum servi essent sepulturæ tradendi, quando & in aliis pecorum ritu habuere, pecora verò mortua plaustris evehuntur. Damnatos profectò extulere plaustris, idq; contumeliæ fiebat causa, quæ non aliunde orta videtur, quam quod sic pecoribus & servis redderentur similes. Herodianus lib. iv. cap. 6. *Τὰ ἢ πλώματα φερόμενα μετ' ὕβριος πάσαις ἀμάξαις ἐπιθέντα, ἐξω τῆς πόλεως κομισθέντα σωρηδὸν καὶ πέριμπερο, ἢ ὅπως δὴ ἐπὶ πλωλο.* Ipsa cada vera plaustris omnibus per contumeliam imposita atque extra urbem exportata acervatim aut temerè injecta rogis comburebantur. Loquitur de amicis & ministris Getæ Imperatoris, quos Caracalla frater condemnatos hac infamia notaverat. Videntur tale quid & illi attendisse, qui sic Commodi cadaver extulere. Idem auctor lib. II. *Τὸ μὲν ἂν σῶμα τῆ βασιλείας ἔτω κλαπὲν, ἐκκομισθέν τε τῆς αὐλείας θύρας, νύκτωρ ὀχήματι ἐπιθέντες, εἰς τὸ πρῶτος εἶον ἀπέπεμψαν.* Ita Meurfius emendat, cum priores, imò postea quoque Argentorati excusi habeant ἀρισεῖον, quod haud dubie depravatum est. Sensus: *Corpiis*
princi-

principio furtim elatum ac per noctem vehiculo impositum in suburbium miserunt. De suburbio est sermo, ubi culina, locus pauperum, fervorum, damnatorum sepulturæ destinatus. Præter hæc consuetudo efferendi mortuos in vehiculis obtinuit quandoque, cum in lue publica præ multitudine defuncti non possent efferri in lectis. Quæ de re testimonium habemus Zonaræ in Const. Copron. ubi agit de pestilentia ingenti per Siciliam, Calabriam & Græciam: *Tanta fuit morientium multitudo, ut efferri non possent, sed plura cadavera simul curribus imposita eveherentur.* Et Paulus Diaconus de pestilentia simili sub Constantino: *Ex necessitate multa excogitatum est, quod super animalia tabula sternerentur, & ita super has impositi mortui deferrentur. Pari modo & alii in plaustris suprapositi asportabantur.* Legimus hoc ipsum aliquando factum ob itinerum longinquitatem. Sic enim Athenienses civium suorum, qui cecidissent in bello, cadavera tot componebant arcis, quot habebant tribus, & sic referebant in urbem vehiculis, quod ex, nescio quo, veteri testatur Alexander Ferrariensis lib. III. cap. 10. Nisi respexisse Thucydidem putamus, qui sic ea de re lib. II. Interprete illius optimo, Enekelio Barone: *Eadem hyeme Athenienses more patrio exequias bello primum absumptis publice fecerunt, in hunc ferè modum: Extructo triduo ante tabernaculo, occisorum ossa proponunt, & suis quisque, aliquid pro lubitu addit. Cum verò efferendum est funus, arcas ex cupresso, sua quamque tribus ossa continentes, currus singularum tribuum singulas vehunt, &c.* Comitantur funus pro voluntate cujusque civis peregrinique, & sæmina cognatione eos aliqua attingentes ad sepulchrum lamentantur. Ponunt eos in publico monumento, quod est in pulcherrimo suburbio civitatis. At his verbis, currus istos secum habuisse in militia, Thucydides non ait, quod tamen Alexander videtur voluisse, quando ait: *Cadavera tot arcis componebant, quot erant tribus, & referebant in urbem vehiculis.* Itemque Alexander Neapolitanus, seu ab Alexandro, qui expressè lib. VI. Genial. Dier. cap. 14. *Inolevit mos Athenis, ut singule tribus singulas arcas, in quibus cadavera & dispersas reliquias illorum, qui bello ceciderant, sua cujusque tribus, inquisita colligerent, in expeditione vehiculis ferant.* Non, inquam, latas ar-

cas

cas in expeditione dicit Thucydides, sed in urbe congesta in eas ossa, ut sic singulae plaustris singulis ad sepulchrum publicum possent deferri. Itaque habuerint sua ex alio quopiam uterque Alexander, vel Thucydidem non recte affecuti fuerint, necesse est. Quamquam vero non repugnet, ossa quoque reportasse domum in vehiculis. Qui enim alias quivissent commodè? Adde, quod & alibi sic se verint. Quod colligimus exemplo Alexandri, quem in curru Alexandriam perlatum memorant. Diodorus lib. XVIII. *Συλλελελυθὲς πῶν ἀρμάμαζαν, ἐφ' ἧς ἔδιδμαλοκομισθῆναι τὸ βασιλικὸν σῶμα, παρεσκευάζετο τὰ πρὸς πῶν κομισθῆν.* *Harmamaxa, qua regium cadaver transvehendum erat, jam confecta, ad translationem ejus se preparabat.* Paulò aliter Ælianus noster lib. XI. cap. ult. ita tamen, ut & ipse currum memoret in hoc negotio. Et sic alibi quoque observamus factum. Ita namque circumvehere cadaver Regis sui defuncti Scythæ consueverunt, teste Herodoto in Melpomene. *Quum Rex eorum decessit, inquit, accipiunt mortuum corpore incerato, alvo evulsa atque expurgata, quam filere contuso & thimiamate apiiq; semine & anisi quum expleverunt, resuunt rursus, impositumque plaustro cadaver ad aliam gentem ferunt. Quod qui excipiunt, eadem agunt, quæ regii Scythæ, &c. Postmodum Regis cadaver carpento ferunt ad aliam gentem, cui imperitant, quæ ipsos comitatur ad eos, unde primum venerant.* Sed hoc satis. Occurrit & vehiculorum usus aliquando ad supplicia & pœnas. Quo referimus, quod Homerus prodidit de Hectore ad currum religato ab Achille, atque sic per terram tracto, lib. X. Iliad. Dictys Cretensis lib. III. *Achilles cum cade inimicissimi, tum memoria doloris ferox, spoliatum armis hostem, mox constrictis in unum pedibus vinculo, currui postremo adnectit. Dein, ubi ascendit ipse, Automedonti imperat, daret lora equis. Ita curru concitato per campum, qua maxime visi poterat, per volat, hostem mirandum in modum circumtrahens: Genus pœnorum miserandumque.* Sed hoc quidem Hectori evenit jam occiso. At verò vivo filia Limones adultero, per Hippomenem, unum ex Codri posteris. Heraclides in Polit. *Ενεῖνον μὲν ἀνεῖλεν ὑποζεύξας μὲν τῆς θυγατρὸς πρὸ ἀρμάς.* *Ipsum (adulterum) necavit, currui alligatum unam cum filia.* Simili modo Betim ultus est Alexander, de quo Curtius lib.

lib. iv. cap. 6. *Pertalos spirantis lora trajecta sunt, religatumque ad currum traxere circa urbem equi, gloriante Rege Achillem, à quo genus ipse deduceret, imitatum se esse pœna in hostem capienda.* Alia est ratio, quando nocens alligatur vehiculis duobus, & sic distrahitur in partes. Priscis temporibus hoc accidit Metio apud Romanos. Livius lib. I. c. 28. *Exinde duabus admotis quadrigis, in currus earum distentum illigat Metium. Deinde in diversum iter equi concitati lacerum in utroque curru corpus, qua inhaeserant vinculis membra, portantes.* Florus lib. I. cap. 3. *Ruptorem foederis Metium Fufelium, religatum inter duos currus, pernicious equis distrahit.* Habes nominata currus: Ad quos quo pacto religatus fuerit, declarat Dionysius Halicarnassensis. Et Servius ad Virgiliū VIII. *Metium post victoriam captum Tullius Hostilius religavit ad duas quadrigas, ita, ut ab unis quadrigis traherentur manus, pedes verò ab alteris: Quibus agitat is velociter, eum crudeli morte discerpfit.* Sunt, qui supplicii hujus auctorem faciunt Herculem. Freinshemius in Notis ad Florum: *Id supplicii Herculem invenisse ferunt.* Respexit, ut opinor, Godelevæum, qui ad Livium, ubi de Metii supplicio, hoc modo: *Hoc supplicii genus ab Hercule inventum esse constat, qui florenti adhuc ætate Regem Euboëe Pyrechmen bellum Bæotiis inferentem vicit, victumque pullis equinis ita alligavit, ut in duas dispertiretur partes, ut refert Plutarchus cap. 13. Paral.* Sed non nihil differunt, alligare ad currus cum quadrigis, aliud ad equos simplices. Hoc factum ab Hercule, non illud. Ita enim Plutarchus ipse: *πάλους ἢ προσδήσας, καὶ εἰς δύο μέρη διελθὼν τὸν Πυραίχμην ἀταφὸν ἔρριψεν.* Malè vertunt: *Pullis que equi alligatum in duas partes discerpfit, insepultumque abjecit:* Deberent enim, equis alligatum, quoniam *πάλους* Græcis sæpe simpliciter sunt equi. Et sic ipse statim in historia Metii: *τὸν βασιλέα δύο πάλους συζεύχας διεσπάραιξεν.* Ubi similiter reddendum erat: *Duos jungens equos eum discerpfit.* Licet verò & Plutarchus nudos equos nominet in Metii supplicio, & iccirco illud Pyrechmes huic assimilet, fecit tamen id, secutus alios auctores, contra sententiam plerorumq; Romanorum. Ipse Varro lib. I. de Gente Pop. Rom. *Metium Suffetium equis ad curriculum ex utraque parte deligatum distraxit.* Meminit alias supplicii hujus & Se-

neca ep. 14. ubi licet legat Lipsius, *distracta in diversum actis cruribus membra*, tamen *curribus*, quod habent vulgati, & Gronovii optima editio, præferendum, cum *acta crura* parum commodè dicantur, quæ flexis arboribus sunt innexa, neque crura solum, sed & brachia religari consueverint. Reperimus etiam, qui subjecti plaustris, comminutiq; rotis fuerunt. Memoratq; nominatim Plutarchus in Galba delatorem Aponium hujusmodi supplicio affectum: *Ἀπόνιον δὲ τινα τῶν κοληγορικῶν ἀναρέφαντες, ἀμάξας λιθοφόρους ἐπήγαγον. Απονίον quendam ex delatoribus prostraverunt, & per corpus ejus onusta lapidibus plaustra egere.* Aliquando rotæ solæ huc adhibitæ, quomodo videmus hodieq; fontes rota contundi ad mortem. Quamquam genus hoc sit recentius, & ut Bodinus censet lib. V. de Rep. excogitatum à Germanis. Gallo-Francis tribuit Barthius lib. IX. Adv. c. 1. propter ista Galteri lib. VIII. Alex.

Hoc habitu quondam Burchardum Flandria vidit

Solventem meritas, occiso Principe, pænas.

Quem rota penalis pro tanto crimine torfit,

Totaque confregit Ludovico vindice membra.

Item, quod in Glossis rota sit *Gallicula*. Verba veteris Glossarii, sub titulo Excerptorum laudati, ita habent: *Gallicula, τροχάδες*. Nec videtur error in scriptura, quando & in Glossis Græco-Latinis ita reperitur, *τροχάς, gallicula*. Sed gallicula hic nihil pertinet ad rotam, quam nec *τροχάς* significat. Rota Græcè est *τροχός*, non *τροχάς*, quod sine causa Barthius in *τροχός* putavit immutandum: *τροχάς* verò gallicula. Hesychius: *τροχάδες, σανδάλια δὸς ἀγροίαις δέξμαλ*. Vides, adeò non significare rotam, ut sint sandalia de genere calceorum, qualia & gallicæ & galliculæ. Itaq; in conjectatione sua frustra Barthius hic fuit. Nec tamen repugnem, apud Gallos Francosq; genus hoc supplicii fuisse olim receptum, propter verba Galteri, quæ aperte memorant confracta membra. Rotas habuere Græci quoq; ac Latini, sed solummodo ad torquendum, non adimendam vitam. Talis rota, in quam reponerentur servi, cædebanturq; virgis. Scholiastes vetus Aristophanis in Pace: *οἱ δὲλοι σφαλλόμενοι ἐπὶ τῆ τροχῆ δεισμευόμενοι καὶ συρόμενοι ἐτὶ ὑπὸ πλοῖο, ἀνακλώμενοι ἐν αὐτῆ. Servi delinquentes super rotam*

rotam religati & tracti verberibus multabantur, in ea reflexi. Religabantur verò manibus. Quod indicat Achilles Tatius lib. vi. *Φερέτω τροχόν, ἰδὲ χεῖρας, τεινέλο.* Sic enim distingvendum est, Salmasio auctore, atq; explicandum: *Rotam inferat, Ecce manus, eas extendat.* Quid autem est ἀνακλάμενοι apud Scholiaft. vel *reflexi in ea?* Puto machinam sic fuisse structam, ut nocens ab una parte religatus incumberet orbi bene lato, eoq; circumactò tenderetur. Suidas in voce *τροχισθεῖσα*: *Ἀπὸ τῆ τροχῆ ὁ πῆρ ὄργανον βασανισμὸν, καὶ διαλείνον τὰ σώματα.* Verbum hoc dictum a rota, quæ instrumentum tortorium, quo corpora extenduntur. Neq; mirum, cum in pedibus haberent religata pondera, si modò rectè sese habent, quæ leguntur apud Josephum in de Maccabæis. Verba hæc sunt: *Illigari igitur, mole pedibus appensa, atque innecti rota jubetur Maccabæus, ita etiam in gyrum circuli porrectus, ut solutis hinc inde visceribus, venisque distentis, dolores ipsius & pæna crescerent.* Ita sese habent verba Erasmi, qui hunc librum reddidit Latinè. At Josephus ipse ita loquitur: *Ἀπέβαλον αὐτὸν ἀεὶ τὸν τροχόν, ἀεὶ ὃν κατὰ ληνόμεν & ὁ εὐγενὴς νεανίας, ἔξαρθρ & ἐγένελο, & κ' πᾶν μέλ & κλώμει &.* In quibus verbis nil occurrit de ponderibus, tantum membra singula dicuntur extenta, & articulos omnes è loco suo emotos, ipse damnatus postremo coniectus ἀεὶ τὸν τροχόν, quod plane id significat, quod dixi. Non videlicet ligatum super radios, sed in orbe sive circulo rotæ. Quare illa quoq; non sunt rectè reddita, quæ sequuntur: *ταῦτα λέγοντι πῦρ ὑπέσρωσαν, καὶ διηρέθησαν τὸν τροχόν προσεπικλάττειντες.* *Ἐμολύνελο ὃ πάνλοθεν αἵματι ὁ τροχός, καὶ ὁ σπῆρ τῆς ἀνδρακίας τοῖς τῶν ἰσχωρῶν εὐβέννιλο σαλαγμοῖς, καὶ ἀεὶ τὰς ἄξονας τῶ ὄργανοι περιέρρεον αἱ σάρκες.* Erasmus ita vertit: *Hæc eo loquente præparatur incendium, & ut erat affixus rotæ, igni in catasta objicitur, atque ita tendentibus corpus radiis & contrahentibus flammis costis deinde patentibus laterum vitalia rumpuntur.* Nihil tale dicitur in Græcis, quorum sensus verus hic est: *Ista dicenti substraverunt ignem excitaruntque, rotam juxta intendentes.* *Rota verò undiquaque maculabatur sanguine, prunarum autem cumulus rore humorum destillantium extinguebatur, & circa machine axes difflebant carnes.* Nihil hic de radiis rotæ, sed de axe, cui incidebant carnes corporis lacerati, quod impositum fuit orbi.

Sed nec, quæ de igni habentur, satis intellexit Erasmus. Putavit enim una cum rota fuisse conjectum damnatum. At Josephus prunas ait substratas, ut alligatus rotæ non tenderetur solum, sed & torreretur. Atq; sic receptum fuit in hoc genere, ideò ignis ferè una cum rota memoratur. Achilles Tatijs, post ea, quæ de rota paulò ante protuli: *Φερέτω καὶ μάστιγας, ἰδὲ νότον, τυπέτω. Κομιζέτω πῦρ, ἰδὲ σῶμα, καίτω.* *Afferat & flagra, ecce tergum, verberet. Ferat ignem, ecce corpus, comburat.* Sic enim distingvit explicatq; Salmasius. Atq; statim post: *Λάμβανε καὶ ἐμὲ τὰς μάστιγας, τὸν τροχόν, τὸ πῦρ.* *Cape in me flagra, rotam, ignem.* Apulejus lib. III. Asini: *Nec mora, cum ritu Gracienſi ignis & rota, tum omne flagrorum genus inferuntur.* Habes ecce ignem simul cum rota. Sed & flagra, quia, sicut dixi ab initio, & hoc receptum fuit, ut simul damnati verberarentur. Aristophanes in Pace:

Ἐπὶ τῷ τροχῷ χ' ἔλκοισι μάστιγι μέμει.

Vertit Florens Christianus:

Flagris secetur, & trahente eat rota.

Quod non satis est evidens, quando non ibant tracti rota, sed ei impositi trahebantur ad divulsionem membrorum, & interea profcindebantur flagris, idque veritatis extorquendæ vel alterius rei obtinendæ gratia, non verò adimendæ vitæ, in quo rota Gracienſis à rota Germanorum Francorumve differebat, contra quam pleriq; docti censuere. Gerardus ad Plutum Arist. *Noxii alligabantur rotis, ut radiis rotarum convulsi lenta quidem morte, sed maximo cruciatu, illic perimerentur.* Neutrum horum verum, nam nec alligati radiis, nec perempti. Docet ipse Aristophanes:

*Ἐπὶ τῷ τροχῷ γὰρ δεῖσθαι σφραγισμένον
εἰπεῖν, ἀπεπανάργικας.* -- --

Sententia est clarissima, *super rotam*, ait, *te incurvatum hic oportet proloqui, quæ feceris prava.* Frischlinus perperam sic reddidit:

-- -- -- *Nam oportet te, rota
illic revinctum & radiis insertum, tua
Flagitia profiteri.*

Nulla mentio hic radiatorum: Tantum dicit rotæ tormento eo compulsus iri, ut veritatem profiteatur. Veritatis ergo exprimen-

dæ

dæ caussa, non perimendi fontis, rota est inventa, ut ne Cælius Rhodiginus quidem rectè cum rota Germanorum junxerit. *Rota tormentum*, ait lib. X. cap. 5. *Germanorum ferè peculiare censetur: Ita tamen, ut ejus meminerit Aristophanes Pluto.* Falsum hoc. Non agit de rota Germanorum, verum ea, quam vocavit *Graciensem* Apulejus. Itaq; nec illud probum, quod sequitur: *Rota inferuntur noxii, & membratim rotarum convulsi radiis lentitudine mortis maximo cruciatu perimuntur.* Non perimuntur rota veteri Graciensi, sed torquentur. Ita torquetur peregrinus ille apud Plutarchum in vita Niciæ, qui cladem Atheniensium in tonstrina narraverat, ut rei à se nunciata proderet auctorem. Ita fuerunt, qui Phocionem censuerunt torquendum ad edendos conjurationis socios, priusquam ad ultimum duceretur supplicium, apud eundem Plutarchum in vita Phocionis. Pertinet huc quoq; dictum Plauti, quando ait Act. II. Cistell. scen. 1.

Iactor, crucior, agitor, stimulator, versor in amoris rota miser.

Sed de rota satis, redeo ad integra vehicula, quæ adhibebantur quoq; ad infamiam. Quomodo apud Scythas, qui vates falsus erat, imponebatur plastro sarmentis onusto, quæ simul accendebantur igne. Herodotus lib. III. *Falsos vates hunc in modum necant: Plastrum concameratum, ubi sarmentis referferunt, bobusque junxerunt, vaticinos pedibus implicatis, & manibus post tergum revinctis, atque ore obstructo, extendunt in medium sarmentorum: Incensisque sarmentis territando agitant boves, quorum bouum multi cum vaticinis concremantur, multi ambusti, cremato utique plastrum temone, aufugiunt.* Romani parricidas affecturi supplicio, plastro deferebant ad mare juncto bobus nigris. Ita docet Glossarium vetus, quod citat Savaro ad Sidon. iv. ep. 24. *Fuit lex quedam hujusmodi omnibus hominibus, ut, qui parricidium fecisset, publice in culleo missus cum vipera & cane & simia & gallo, impiis animalibus, impius homo super plastrum, junctum nigris bobus, deferretur in mare, & projiceretur in profundum.* Eadem plane habet Dositheus, Grammaticus græcus, in Sententiis & Epistolis Hadriani Imperatoris, ex quo adducit Demosterus ad Rossinum verbis græcis, ut alter ex altero transcripserit.

Nescio, num quid simile receptum fuerit apud Græcos in proditoribus. Phocion saltem, hujus criminis reus, ita vectus est. Plutarchus in ejus vita: καὶ προὶν τὸ σχῆμα τῆ κομιδῆ ἡλυπηθὼν, ἐφ' ἀμάξαις κομιζόμενος ἀδύων διὰ τῆ Κεραμικῆ πρὸς τὸ θέατρον. *Species vecturæ fuit tristis admodum, plaustris vecti per Ceramicum fuerunt ad theatrum.* Atq; hi vehiculorum usus ferè pacis tempore. Fuit & eorum usus non exiguus in bello. Populi profectò antiquissimi hoc genere pugnarunt. Quod ex ipso Mose discimus, qui exercitum Pharaonis & Ægyptiorum æstimat ex folis curribus. Verba ejus Exodi 14. *Iunxit ergo currum, (Pharao) & omnem populum suum assumpsit secum. Tulitque sexcentos currus electos, & quicquid in Ægypto currum fuit, & Duces totius exercitus.* Simili modo in exercitu Sesostris Diodorus lib. I. memorat ζεύγη πολεμιστήρια διαμύρια καὶ ἑπταμισχίλια, *currus militares ad viginti septem millium numerum.* Sic de Jabin, Rege Cananæorum, legimus in libro Judic. cap. 4. *Nongentos habebat falcatos currus.* Habuerunt & Assyrii. Diodorus lib. II. de Nino memorat, quod in exercitu suo adversus Bactrianos adhibuerit ἄρματα δρεπανηφόρα μικρὸν ἀπολείποντα τῶν μυρίων ἑξακοσίων, *currus falcatos paulò minus decem millibus & sexcentis.* Persæ non alio genere magis parari victoriam putarunt. Inde Curtius lib. IV. cap. 9. *Ingensque, ut crediderat, terror hostium, ducentæ falcate quadrigæ unicum illarum gentium auxilium sequuntæ sunt.* De Persis & Dario loquitur, ipso Rege. Neq; recens fuit institutum hoc Persarum, sed vetustum plane. Meminit enim Diodorus lib. II. auxilii Priamo missi à Teutamo, Rege Assyriorum, curribus ducentis Susianorum, qui sunt Persæ: ἄρμασι διακοσίοις ἑξακοσείλαι. *Totidem Susianos cum ducentis curribus illi misit.* Transiit hæc consuetudo etiam ad Thracas. Polyænus lib. IV. de Alexandro: Θρακῶν παρασκευασμένων καλαγνῶς ἀμάξας πολλὰς ἐπαφιέναι τοῖς Μακεδόσι. *Thracas paratos esse didicit, ut magnam vim curruum in Macedones immitterent.* Indos. De quibus ante dictus Curtius lib. VIII. cap. 14. *Summa virium in curribus. Senos viros singuli vehebant, duos clypeatos, duos sagittarios ab utroque latere dispositos, cæteri aurige erant, haud sanè inermes, quippe jacula complura, ubi cominus preliandum erat, omissis habenis in hostem ingerebant.* Sic describit currus istos

istos

istos Indorum, Regisq; Pori, unde constat, non fuisse, quales vulgo in militia, præcipue Græcorum, fuerunt recepti. Ut hoc ipsum forte Clariss. Freinshemium monere debuerit, ne in dubium Curtii fidem vocaret. Nec enim, si alii Indorum, excepto auriga, epibatas seu propugnatores habuere duos tantum, quod Ælianus tradunt atq; Strabo, & ipsum quoq; diversum est à consuetudine Græcorum, necesse videtur, ut idem statim de Indis, quibus Porus imperabat, statuamus. Curribus pugnarunt Græci quoque. Ideò vetusta mentio eorum etiam apud Homerum. Eadem Libyæ gentis consuetudo. Docet junctim Pollux lib. I. cap. 10. *λίβυες δὲ δὴ δίφρων καὶ ἵππων ἐπιζευγυμένων, ὡς περ οἱ Ὀμήρου ἦρωες, μάχονται. Libyci ex curribus, ad quos juncti equi, quemadmodum Heroës Homeri, præliantur.* Ita locum hunc vertendum monui in meis ad Arriani tactica Notationibus. Num & Lacones? Inter species *δίφρειας* enim apud Pollucem dicto loco est & *ἡλακωνική*. Præterea in illo Pollucis loco toto agitur de curribus non aliis, quam militaribus. Sed quæ *δίφρειαι* illæ, quarum species tres memorat, Libycam, Persicam, & Laconicam? Puto significare non certam quandam & peculiarem rationem agendi currus, in peculiari equorum concitatione consistentem, verum singularem speciem, cum respectu curulis constructionis, tum respectu eorum, qui ex curribus pugnant, & armorum, quibus utebantur. Quod colligo ex loco Xenophontis, qui extat lib. vi. *Pædiæ*, ubi Persicam *δίφρειαν* explicat, eiq; opponit Trojanam & Cyrenaicam. Verba sic se habent: *καὶ πάλιν μὲν Τρωϊκὴν δίφρειαν πρὸς θεὸν ἔσαν, καὶ πάλιν Κυρηναίων ἔτι νῦν ἔσαν ἀρμαίνοντας κατέλιπε. Τὸν γὰρ πρὸς θεὸν χρόνον καὶ οἱ ἐν Μηδίᾳ καὶ Συρίᾳ καὶ Ἀραβίᾳ καὶ πάντες οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ τοῖς ἀρμασιν ἔτασ ἐχρῶντο, ὡς περ νῦν οἱ Κυρηναῖοι.* Sermo est de Cyro: *Trojanam, ait, rationem aurigandi, quæ olim fuit recepta, & Cyrenaicam, quæ nunc quoque usitata est, omisit. Superiore namque tempore & Medi, & Syri, & Arabes, & Asiatici omnes curribus ita utebantur, ut nunc Cyrenaici.* Subdit postea, quid Cyrus immutaverit in structura curruum, & armatura illorum, qui pugnare ex iis debebant. Unde liquet, *δίφρειαν* esse rationem certam præliandi ex curribus, aliter aliterq; se habentem pro ratione curruum ipsorum & præliantium ex ipsis. Rationemq; illam memorari

morari quintuplicem, Libycam, Asiaticam vel Cyrenaicam, Persicam, Trojanam, & Laconicam. Atq; ita Laconas seu Spartanos quoq; habuisse quondam currus suos in bello, eosq; peculiari quadam structos ratione armatosque, quæ à structura cæterorum differerebat, eamq; esse *διφοβίαν Λακωνικὴν*, quam Pollux memorat. Quæ verò illa fuerit differentia, in defectu auctorum de hac re tradentium, haud profectò dixerim. Troicam, Asiaticam seu Cyrenaicam, & Persicam cognoscimus quadamtenus ex Xenophonte, alibi que explicamus; At verò Libycam & Laconicam descriptam hactenus non observavimus. Ut sufficere nobis debeat, quod fuisse utriusque aliam à prædictis rationem sciamus. Nisi fortè Libycam putamus eam ipsam, quæ & Cyrenaica. Videturque velle Scholiastes Pindari, quando, quod de Cyrenaicis proposuit, deinde explicat de Libyis. Verba sunt in Oden iv. Pyth. *τὴν Κυρήνην εὐίππον εἶπεν ἰὼ ἐν τῷ παραλυχόβλοσ, ἀλλ' ὅτι Ποσειδῶν τὴν Λίβυα, διδάξεια πλὴ τῶν ἀρμάτων καὶ ἄλλουζιν.* *Cyrenen vocat bonam equis*, (Stephanus & docti viri alii non satis commodè reddiderunt *equestrem*) *non ex eo, quod tunc accidit, sed quia Neptunus Libyas docuit juncturam vehiculorum.* Non potuisset tribui Cyrenaicis, quod ad Libyas pertinuit, si non Cyrenaiici etiam Libyæ fuissent. Ita amplius cognoscimus ex Stephano, qui Libyn etiam Cyrenen ait dictam: *Λιβύη, χώρα πολυώνυμος, ὡς Πολυίσιωρ. Ἡ Ὀλυμπία, Ὠκεανία, &c. Αἰθιοπία, Κυρήνη.* *Libya, terra, quæ multa habet nomina, ut ait Polyhistor. ut terra Olympia, Oceania, &c. Aethiopia, Cyrene.* Itaque vix alia Libyca est ratio, quam Cyrenaica. De Laconica dubitamus, cum præsertim ejus alibi, quam apud Pollucem, mentionem nullam videamus fieri. Præter Græcos autem, interque eos nominatim Laconas seu Spartanos, invenimus usos curribus ad prælia & alios Europæ populos, ut gallos Belgasque, quorum bennæ ac covini veteribus non semel memorantur. Hinc Lucanus quoque lib. I. de Belgis:

Et docilis Reſtor conſtrati Belga covini.

Et de gallis Livius lib. X. cap. 20. *Effedis carrisque superſtans armatus hoſtis, ingenti ſonitu equorum rotarumque, advenit.* Britannis nihil fuit olim uſitatius. Memorat jam Tacitus in Vita Agricolæ, cap. 12.

Quædam

*Quaedam nationes & curru praeliantur. Honestior auriga, clientes propugnant. Et ante ipsum Mela lib. III. cap. 6. Dimicant non equitatu modo aut pedite, verum & bigis & curribus, Gallicè armati. Num & alii sic praelia commiserint, nescimus, nisi de Romanis aliquid colligere ex Auctore veteri de Rebus Bellicis volumus, propter Currodrepanos vulgares, singulares & clypeatos, quos describit. Sed hoc valde recens fuerit, necesse est, atque rarum, cum Scriptores nulli memorarint. Priscis sanè temporibus ignorasse, vel unicus docuerit Polybius, qui, cum diligenter omnem Romanorum descripserit militiam, currus ne uno quidem in ea nominavit verbo. Cæterum, hic primus usus est vehiculorum in bello, pertinens ad praelia & acies. Est & usus alius, ad claudenda firmandaque castra, qui non Romanis quidem, aliis tamen populis admodum fuit receptus. Ac de Gallis quidem pridem est testatus Sisenna lib. IV. Historiarum, cujus verba Nonio servata voce *Carra* hæc sunt: *Impedimenta collocant omnia, construunt carros, & sarraca crebra disponunt.* De Helvetiis discimus ex Cæsare, qui sic lib. I. Bell. Gall. cap. 6. *Ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum est; Propterea, quod pro vallo carros objecerant.* Idem testis est & de Germanis, nominatimque Harudibus, Marcomannis, Tribocis, Vangionibus, Nemetibus, Sedusiis, Svevis, libr. I. dicti operis, cap. 51. Fuit & Cimbrorum ea consuetudo, quod colligimus ex Floro, quando lib. III. cap. 3. fœminas eorum scribit, *objectis undique plaustris atque carpentis post virorum cladem pugnasse.* Gothis tribuit Ammianus lib. XXXI. *Haud longo spatio, ait, separatum vulgus inestimabile Barbarorum, ad orbis rotundi figuram multitudine digesta plaustrorum, tanquam intramuranis cohibita spatiis, otio fruebatur & ubertate prædaram.* Gethis vicinisque Claudianus in Rufinum lib. II. v. 127. ubi sic de ipsis, quos communi nomine appellat Barbarum:*

Nn

Tum

Tum duplicem fossam, non exsuperabile vallum.

Asperat alternis sudibus, murique locata.

In speciem castis obtendit plaustrajuvencis.

Ubi nota, consuevisse interdum plaustris curribusve hisce coria exterius apponere, contra ictus ingruentium ab hoste telorum, & quo tutius ab eis in-subeuntibus pugnarent, quae de re cum alibi, tum quoque ad Mauritium nostrum egimus. Scythas vulgo habuisse intelligimus ex Luciano, ubi Toxaris Scythia in ejus nominis dialogo: *Ἐνθα ἡμῖν τὸ ἡμισυ τῆς στρατοπέδου, καὶ μέγῃ τῶν ἀμαζῶν ἦν. Οὕτω γὰρ ἐσκευάσαμεν. Ἐοὶ nobis dimidium copiarum & pars plaustrorum erat. Sic enim castra fueramus metati.* De Thracibus ex Arriano discimus, qui sic statim ab initio de ipsis: *Ἐυναγαγόντες ἀμάξας, καὶ προβαλόμενοι πρὸ σφῶν ἀμα μὲν χάρακι ἐχρῶντο ταῖς ἀμάξαις ἐς τὸ ἀπομάχεσθαι ἀπ' αὐτῶν εἰ βιάζοντο.* *Congregatis plaustris, & ante se collocatis, (Interpres liberalius, in orbem dispositis) simul pro vallo utebantur eis, ut ex iis, si premerentur, pugnarent.* Barbaris in universum omnibus tribuit Vegetius lib. III. cap. 10. ubi agit de diversa muniendi castra ratione. *Omnes barbari, ait, carris suis in orbem connexis ad similitudinem castrorum securas à super-venientibus exigunt noctes.* Usurparunt tamen & Romani quoque superioribus temporibus, ut ex Leone, Mauritio, cæterisque Tacticorum Scriptoribus, cognoscimus. Et jam de Narsete Agathias lib. II. ubi agit de ipsius castrametatione: *καὶ τὰς τῶν ἀμαζῶν τροχὰς, ἃς δὴ ὡς πλείστας ἐπέηλε, συναρῶν ἐς ἀμύληας ἀρμόσας, ἐπέπηξε τὰ ὀπίσω τῆς ἐδάφης, ἀχρι καὶ ἐς τὰς πλήμνας περιχάσας, ὡς μόνον τὰ ἡμικύκλια ὑπερανέχειν καὶ προέκλειπῃ.* *Et curruum, quorum maximam habebat vim, rotas ordine inter se consertas solo infixit, terra ad modiolos rotarum usque aggesta, ita, ut circumferentia dimidia tantum pars extaret & prominere, ut Vulcanius hæc vertit.* Non verò ad munitionem castrorum solummodo, sed & integri exercitus, in itinere constituti, pertinebant, si quæ vis ab hoste timeretur, aut insultus. Quod ostendit

ostendit Polyænus lib. III. ubi de Timotheo testatur, quod contra Olynthios servavit exercitum suum in itinere, τὰς ἀμάξας πικρὰς ἀγῶν καὶ συνθημένους, τὰς ἃ ὀπλίτας τέτων ἔξωθεν περιβαλόν, *currus constipatum ducens & conjunctim, eis que circumdans armatos.* Pollio in Gallienis, cap. 13. *Quo comperto Scythæ facta carragine per montem Gessicem fugere sunt conati.* Cælius Rhodiginus lib. XVIII. cap. 24. explicans hunc locum ita scribit: *Sic interpretantur nonnulli, ut carraginem facere, verbo barbariem respiciente, sit perinde, ac si dicas, conclamare vasa. Sed & carraginem facere dixeris non rectè minus, viam aperire, qua commeent plaustra: Quando & carraginem ratione hac usurpat pleraque Italia, vel proverbio teste.* Verum, quicquid sit de proverbio Italiaque, nihil tale voluit Pollio in prædicto loco, sed per *carraginem* *facere* intellexit carros inter se conjungere vel construere, ut per eos ita confertos, & à latere utroque tergoque incedentes, medius inter eos exercitus tutum ab hoste possit iter facere, quæ de re loco alio pluribus agemus. Ad postremum etiam in ipso prælio sic suos muniebant aliquando, maximè, si metueretur fuga. Cæsar de Bell. Gall. cap. 51. *Omnem aciem suam rhedis & carris circumdederunt, ne qua spes in fuga relinqueretur.* Simile quodammodo Indorum institutum apud Curtium lib. IX. cap. 1. *Barbari, ait, vehiculis inter se junctis dimicaturi occurrerunt, transiliebantque in vehicula strenuo saltu, cum succurrere laborantibus suis vellent.* Ubi juncta inter se vehicula non aliter intelligenda, quam ut dixi. Quare sequitur de Alexandro: *Vincula, quis conferta erant, (vehicula) jussit incidi, quo facilius singula circumvenirentur.* Sed & de Vacceis Frontinus lib. IV. cap. 7. 33. *Vaccei, cum à Sempronio collatis signis urgerentur, universas copias cinxere plaustris.* Est & tertius vehiculorum usus in militia ad deportanda primum tela majora cum suis machinis. Inde inter vehicula exercitum sequentia Mauritius noster lib. XII. cap. 18. numerat τὰς βαλισσοφόρους ἀμάξας

(sic enim legendum, non βαλισφόρος, quod in Notis monui) hoc est, *currus balistas portantes*. Vegetio videntur esse *carrobalistae* tela, ducta istis curribus. Verba extant lib. II. cap. ult. *Legio primum omnium instruitur jaculis, quae nulla lorica, nulla possunt scuta sufferre. Nam per singulas centurias singulas carrobalistas habere consuevit, quibus multi ad trahendum deputantur. Idem memorat onagros in vehiculis, eodem loco: In una legione esse solent decem onagri, hoc est, singuli per singulas cohortes. In carpentis bobus portantur armatis, ut, si forte hostes ad oppugnandum venerint vallum, sagittis & saxis possint castra defendi. Sic distingvo locum hunc, qui se male habet in vulgatis: Deinde pertinebant ad gestationem armorum, si fiebat iter, neque metus erat ab hoste. Unde Mauritius noster lib. XII. cap. 19. Εάν οι έχθροὶ πλησίον ὦσι, τὰ ὄπλα αὐτῶν βασίζοντας τὰς ὑπλάτας περιπαλεῖν δεῖ, καὶ μὴ εἰς τὰς ἀμάξας ταύτας καταλιμπάνειν, ἵνα ὡσιν ἕτοιμοὶ πρὸς τὴν μάχην. Si appropinquent hostes, graviter armati debent incedere gestantes arma sua, nec ea relinquere in vehiculis, quo sint parati ad praelium.* Hic monentur, ne appropinquante hoste arma relinquant in vehiculis, sed eis se muniant. Ex quo sequitur, habuisse alias deposita in eis. Neque alia fortassis causa, quod non rarò videamus apud Auctores veteres etiam in itinere decursum ad arma, si quando ex inopinato hostis ingruerat. Ita Curtius lib. III. cap. 8. *Itineri quam praelio aptiores erant, raptimque arma capiebant.* Sed et alias in eis arma habebant, ut, si quovis modo sua perdidissent, haberent, unde promerent alia. Hinc capta legimus *plaustra coricis ac minoribus sagittis onusta* apud Nonium voce *catapulta* ex Sisennæ lib. III. Ultimus est usus ad gestandas sarcinas militares alias, de quo frequentissimè Scriptores. Hinc illud Curtii lib. VI. cap. 6. *Planicies spaciota erat, in quam vehicula onusta perduxerant. Expectantibus cunctis, quid deinde esset imperaturus, jumenta jussit abduci, suisque primum sarcinis, face subdita, ceteras incendi praecepit.* Habes manifestè

manifestè sarcinas in vehiculis. Quod & aliunde sæpius colligitur. Præter hos solennes propriosque, sunt & usus alii vehiculorum. Ut cum in flumine collocantur ad coërcendam vim aquarum, quo facilius transire possit exercitus. Quo videtur referendum, quod habet Cæsar lib. I. Bell. Civ. cap. 64. *Legiones expeditas educit, magnoque numero jumentorum in flumine supra atque infra constituto transducit exercitum.* Nam, jumenta currus plaustraque significare interdum, alibi jam ostendi. Singularis est inventi, quod de Datame refert Polyænus lib. VII. Verba sunt hujusmodi, ut Vultejus vertit: *Datames supra fluvium magnam viam contendit, & curribus binis conjunctis binos alios imposuit, eosque clavibus inter se compegit, & juxta canthos ab inferiori parte tabulas affixit, ut ne rota in limbum fluminis deprimerentur. Viros autem valentissimos, qui optima jumenta attraherent, trahere jussit. Postea currus compactos in fluvium immisit. Hoc pacto cum posteriores impellerent, ii vero, qui trajecerant, ab anteriore parte traherent magnis funibus suspensos, injectis superius sarmentis atque lignis, fluvium cum suis copiis transmisit.* Sic Vultejus, paulò tamen obscurius. Polyæni mens est hujusmodi, fecisse Datamen in defectu pontis, ut per currus in flumine constitutos exercitum posset traducere. Itaque non binos tantum, sed & duos & duos (*ἀμαξας συνδυο ζεύξας*) conjunxisse. Verum, quia fuit flumen altius, his imposuisse currus alios. Jam ut sic juncti copulatiqve duci possent per flumen, primum viros strenuos jussisse illud superare natando cum jumentis validis, ad hæc jumenta in adversa ripa constituta jam alligasse funes validos, quibus attraherent vehicula serie longa inter se connexa, & ut promptius hoc posset fieri, fuisse, qui à tergo vehicula ista propellerent. Postremo, ne in limo subsiderent rotæ, tabellas eis affixisse. Ita conjecisse sarmenta in plaustra, & super ea tabulas, ut per eas exercitui pateret via. Hæc sententia est Polyæni, quam interpreti dabit facilè, quis-

quis nostra conferre cum Græcis volet. Ut enim Græca quoque proferamus, prolixitas verborum prohibet. Vehiculis in angusto itinere constitutis accensisque Demetrius impedivit persecutionem hostilem, sicut idem testatur lib. IV. *πληθὺς ἀμαζῶν σωρεύσας κτὲρ τὸ στενότερον τῆς δυσχερείας πῦρ ἀνήκειν. Οἱ μὲν πολέμια πλὴν πυρκαϊάν ὑπερβαλεῖν ἐν ἡδύνατο.* *Curruum multitudine coaceruata in angustissimo difficilimoque loco ignem subdidit. Hostes incensum ignem transire non poterant.* Jam ut vehiculorum fuit usus in militia & bello, ita & in belli præludiis, hoc est, venationibus. Sic saltem de Garamantis legimus apud Herodotum lib. IV. Nec fortassis non est factitatum aliis, priscis maxime temporibus, antequam ars equitandi publicè invaluisset. De quo alii deliberent.

Finis libri primi.

